QUO TEMPORE

QUA MENTE SCRIPTUS SIT

XENOPHONTIS LIBELLUS

QUI ΠΌΡΟΙ INSCRIBITUR

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

CH. DIEHL

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM

MDCCCLXXXVIII

QUO TEMPORE

QUA MENTE SCRIPTUS SIT

XENOPHONTIS LIBELLUS

QUI ΠΌΡΟΙ INSCRIBITUR

QUO TEMPORE

QUA MENTE SCRIPTUS SIT

XENOPHONTIS LIBELLUS

QUI ΠΟΡΟΙ INSCRIBITUR

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

CH. DIEHL

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM

MDCCCLXXXVIII

MAGISTRO MEO

G. BOISSIER

GRATI ANIMI PIGNUS.

D. D. D.

QUO TEMPORE

QUA MENTE SCRIPTUS SIT

XENOPHONTIS LIBELLUS

QUI ΠΌΡΟΙ INSCRIBITUR

CAPUT I.

DE TEMPORE LIBELLI NOSTRI QUID RECENTIORES SCRIPTORES SENSERINT.

De tempore, de auctore libelli qui, Πόροι vel Περὶ προσόδων inscriptus, sub Xenophontis nomine vulgo circumfertur, multi quidem tempore nostro scriptores disputaverunt, magnumque dissertationum proventum attulit difficilis illa et nondum absoluta quæstio. Nobis tamen non est in animo miro isti opinionum certamini longius immorari, totque adversas sententias, ipsa argumentorum repugnantia vicissim labefactas, per ordinem recensere. Breviter, exempli gratia, et Weiskii[1] sententiam memorare satis erit, qui, nescio qua ratione impulsus, anno 422/421 libellum nostrum scriptum esse

1. Ed. Xenophontis 1804, vol. VI, p. 90 sqq.

censuit, et illam Bakii[1] et Deventeri opinionem, qui librum post commissam Mantineensem pugnam (362), nondum confecto tamen sociali bello, compositum esse voluerunt. Nota Bœckhii disputatione satis refelluntur horum virorum existimationes, ne argumenta dicam[2]. Ut optime demonstravit clarissimus ille scriptor, Xenophonteum libellum evolventi occurrunt loci quidam, ex quibus facile hauritur pernotarum rerum memoria et certa temporum ratio. Hic Decelensis belli (413) recordationem invenias[3], hic rupti Attico-Deliaci fœderis, et, quod extremis Peloponnesiaci belli temporibus contigit, amissi Atheniensium navalis imperii[4]. Hic commemoratur ille rursus ab insulanis sponte Atheniensium reipublicæ oblatus maris principatus (378)[5]; commemoratur imperii summa ultro a Thebanis Atheniensibus concessa (377)[6]; commemorantur Lacedæmonii, Atheniensium beneficiis victi, libenter maritimarum rerum curam principatumque antiquis æmulis permittentes (369)[7]. Quin imo alio loco memoratur auxilium ab Atheniensibus, Lysistrato duce, Arcadibus latum[8], quæ res gesta, licet incerti temporis sit, fœderi

---

1. Bake Alex., *Commentatio critica de libellis qui Xenophontis nomine feruntur*. (Acta nova litter. Societ. Rheno-Trajectinæ, IV. 1831.) Deventer, *Specimen Xenoph. libri de Vect.* Trajecti, 1851.

2. Bœckh, *Staatshaushaltung der Athener*. 3ª ed., I, 698-700. Cf Zurborg, *De Xenophontis libello qui* Πόροι *inscribitur*, p. 3 sqq., quid de Bakii opinione judicandum sit.

3. *Vect.*, IV, 25.

4. V, 6.

5. V, 6.

6. V, 7.

7. V, 7. Cf. Xenoph., *Hellen.*, VII, 1.

8. III, 7. Cf. Xenoph., *Hellen.*, VII, 4, 2 sqq.

inter Athenienses Arcadesque anno 366 icto certe præponi non potest; memoratur et equestre auxilium Hegesilao duce in Arcadiam missum [1], quo paucis ante Mantineensem pugnam diebus Thebani equites devicti sunt (362). Memorantur tandem rursus amissi Atheniensium socii, rursus amissus maris principatus [2]; memoratur et pax illa, qua pacatum mare fuit et compositum grave bellum ex injuriis ortum, quibus Athenienses socios vexaverant (355) [3]. Quarum rerum memoriam, nisi cum Bœckhio post confectum sociale bellum libellum nostrum compositum esse statuas, quomodo recte interpreteris perspici non potest.

At si post hunc terminum conscriptum esse libellum nostrum plerique docti consentiunt, aliunde non unum certumque terminum invenerunt omnes ante quem scriptum esse necesse sit : bello sociali confecto posteriorem esse una voce affirmant ; paucisne diebus an pluribus annis hujus belli conclusioni posterior sit disputant adhuc decertantque.

Trium præcipue locorum interpretatione diversæ scriptorum sententiæ nituntur. Ex duobus locis IV, 40 et V, 12 pacem tunc fuisse apparet, et illam quidem ipso libelli conscriptionis anno initam [4]. At quæ fuerit

1. *Vect.*, III, 7.

2. V, 5, 8.

3. IV, 40; V, 12.

4. IV, 40. Εἰ δ'αὖ διὰ τὰς ἐν τῷ νῦν πολέμῳ γεγενημένας εἰσφορὰς νομίζετ' ἂν μηδ' ὁτιοῦν δύνασθαι εἰσενεγκεῖν, ὑμεῖς δ'ὅσα μὲν πρὸ τῆς εἰρήνης χρήματα εὕρισκε τὰ τέλη, ἀπὸ τοσούτων καὶ τὸ ἐπιὸν ἔτος διοικεῖτε τὴν πόλιν· ὅσα δ'ἂν ἐφευρίσκῃ διά τε τὸ εἰρήνην εἶναι καὶ διὰ τὸ θεραπεύεσθαι μετοίκους καὶ ἐμπόρους καὶ διὰ τὸ πλειόνων συναγειρομένων ἀνθρώπων πλείω εἰσάγεσθαι καὶ ἐξάγεσθαι καὶ διὰ τὸ ἐλλιμένιον καὶ τὰς ἀγορὰς αὐξάνεσθαι, ταῦτα λαμβάνοντες κατασκευάσασθε ὡς ἂν

pax illa ? Duobusne locis una eademque pax significatur, an hic maritima pax, qua anno 355 sociale bellum confectum est, illic terrestre fœdus, quod anno 346 a Philocrate ictum ab homine ipso nomen tulit, commemoratur ? Alius accedit ambiguus locus, quo V, 9 occupatum a Phocensibus et rursus derelictum Delphicum templum dicitur, aliusque gentis, obscuris quidem verbis designatæ, cupido notatur, quæ templi προστασίαν sibi vindicàre conata est[1]. Quæ scriptoris verba prout interpreteris, anno 355 vel anno 346 compositum esse libellum statuas. Ex his tribus locis totus hauritur argumentorum apparatus, in horum interpretatione totius quæstionis cardo versatur : alia omnia, quæ secundario loco ad confirmandam vel ornandam potius opinionem scriptores attulerunt, æqua facilitate cum diversis sententiis tam mirum in modum congruunt, ut certum nihil ex illis argumentari possis. Tres igitur locos illos quomodo docti intellexerint, breviter recensere necesse est, ut stabile disputationi nostræ fundamentum statuamus.

Primis duobus locis unam eamdemque pacem memorari jam Bœckhius contendit[2], et illam quidem

---

πλεῖστοι προσόδοι γίγνοιντο. — V. 12. Γνώσεται δὲ, ἢν σκοπῇ, καὶ ἐν τῷ νῦν χρόνῳ διὰ μὲν τὸν πόλεμον καὶ τῶν προσόδων πολλὰς ἐκλειπούσας καὶ τὰς εἰςελθούσας εἰς παντοδαπὰ πολλὰ καταδαπανηθείσας · ἐπεὶ δὲ εἰρήνη κατὰ θάλατταν γεγένηται, ηὐξημένας τε τὰς προσόδους, καὶ ταύταις ἐξὸν τοῖς πολίταις χρῆσθαι ὅ τι βούλονται.

1. V. 9. Εἰ δὲ καὶ ὅπως τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν αὐτόνομον ὥςπερ πρόσθεν γένοιτο φανεροὶ εἴητε ἐπιμελούμενοι, μὴ συμπολεμοῦντες, ἀλλὰ πρεσβεύοντες ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα, ἐγὼ μὲν οὐδέν ἂν οἶμαι θαυμαστὸν εἶναι εἰ καὶ πάντας τοὺς Ἕλληνας ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους καὶ συμμάχους λάβοιτε ἐπ' ἐκείνους οἵτινες ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο.

2. Bœckh, *op. laud.*, I, 698-700.

significari post confectum sociale bellum anno 355 ictam. At in loci V, 9 interpretatione gravissima difficultas hærebat, cui acute quidem, recte minus, subvenire conatus est. Cum belli sacri nullam in scriptoris verbis memoriam occurrere crederet, aliam ex longinquiore petitam loci explicationem proposuit, novam quidem inauditamque significandi potestatem verbo ἐκλείπειν attribuendo : quo, si Bœckhio credas, aperte significatur aut Phocenses longos per annos vindicatam Delphici templi προστασίαν tandem reliquisse, tumque fortasse Thebanos, antequam ipsi Phocenses audaci facinore anno 355 templo et urbe potiti sint, ipsos Delphicum sacrum occupare conatos esse; aut — diversis enim explicationibus dubio loco succurrere Bœckhio placuit — verbo ἐκλιπόντων significatur debilitatos esse Phocenses et remissiores factos. Quæ utut sint, — de Bœckhii opinione quid, Cobeto auctore, sentiendum sit, paulo infra videbimus, — post confectum sociale bellum, ante occupatum Delphicum templum bellique sacri initium compositum esse libellum nostrum Bœckhius statuit. Quam sententiam multi ætate nostra viri docti, Kruegerius [1], Schneiderus [2], Schäferus [3], secuti sunt; et ipse Cobetus, qui nova tamen conjectura desperatum locum illum V, 9 sanare conatus est [4]. Cum in statuendum belli sacri initium acriter incumberet, ut Diodorum [5], qui anno 355 occu-

---

1. Krueger, *De Xenophontis vita*; Histor.-philol. Studien, II, 283.
2. Schneider, ed., VI, 155.
3. Schäfer, *Demosthenes*, I, 170.
4. Cobet, *Novæ lectiones*, 756 sqq.
5. Diod., XVI, 23, 1.

patum esse oraculum tradit, aliorumque scriptorum, Demophili Ephori filii[1], Callisthenis[2], Pausaniæ[3] et Parii marmoris[4], qui ad annum 357 belli initium referunt, testimonia conciliaret, bis a Phocensibus occupatum fuisse Delphicum templum voluit, primum anno 357, quæ prior occupatio brevis fuit, alterum anno 355, quæ usque ad annum 346 duravit. Quibus quidem causis moti occupatum templum Phocenses tam breviter reliquerint, quo modo desertum fanum Thebani anno 356 occupare tantum conati sint[5], nec revera occupaverint, — nam hoc quoque ad juvandam conjecturam Cobetus sibi finxit, — cur duplicis illius occupationis nulla nobis a scriptoribus memoria tradita sit, incertum manet; sed, utut sit, in statuendo libelli tempore, Cobetus Bœckhio plane assentitur : ante occupatum a Philomelo anno 355 Delphicum templum, ante initum sacrum bellum scriptus esse videtur.

Ab hac sententia, tot virorum testimoniis confirmata, primus anno 1866 Hagenius recessit[6]. Primus pacem IV, 40 et V, 12 memoratam non unam eamdemque esse contendit : et cum hic (V, 12) exhaustum ærarium summamque ante pacem egestatem memorari, illic (IV, 40) prosperioris status mentionem, quin imo reliquias quasdam in ærario conservatas[7] significari sibi

1. Diod., XVI, 14, 3. Athen., 232 E.
2. Diod., XIV, 117, 7.
3. Pausanias, X, 2, 3 ; X, 3, 1.
4. Müller, *Fragm. hist. græc.*, I, 535 ; v. 87 seq.
5. Cf. Demosth., *De falsa legat.*, 21.
6. Hagen, *Ueber die angeblich Xenophontische Schrift von den Einkünften.* Eos., t. II, 1865, p. 149-167.
7. Cf. Hagen, p. 151 ; sed quæ IV, 40 leguntur perperam interpretatus est. Cf. Kanitz, 2-3 ; Roquette, 92.

fingeret, cum hic, pacato mari, jam auctos reditus designari, illic certam post factam pacem inopiam et prosperioris status spem tantum exprimi inveniret, duos in disceptatione positos locos male inter se convenire censuit, et, verborum quidem certam potestatem fortasse non bene interpretatus, hic pacem maritimam cum sociis ictam, illic terrestre fœdus cum Philippo factum significari voluit, libellumque igitur post annum 346 confectum esse statuit. Quin imo, cum Delphici templi relicti mentionem inveniret, nec Bœckhii interpretationem, nec Cobeti conjecturam secutus, ad ultimum sacri belli annum et Phocensium Phalæco duce deditionem scriptoris verba retulit. Quæ cum ita sint, post Philocrateam pacem, anno 346 mensis Skirophorionis die 13 confirmatam, post Phocensium deditionem ejusdem mensis die 23 pactam, de qua ejusdem mensis die 27 a Dercylo Athenas allatum est, conscriptum esse libellum statuit; et cum ipso pacis anno scriptor noster verba fecisse videatur, extremis Skirophorionis mensis diebus, post diem mensis 27, et perpaucis ante Ol. 108.3 diebus compositum esse libellum necesse est. Quam Hagenii sententiam, speciosius quidem quam verius propositam, plures tamen, Beckhausius[1], Curtius[2], Dindorfius[3], Busoltus[4], secuti sunt.

Recentioribus annis acriter iterum controversia exar-

---

1. Beckhaus, *Zeitschrift für Gymnasialwesen*, 1872, p. 230, et *Xenophon der Jüngere und Isocrates*. Posen, 1872.

2. Curtius, *Griech. Gesch.*, III, 2ª ed., p. 779.

3. Dindorf, *Xenophontis opuscula politica*. Oxford, 1866, p. XVIII.

4. Busolt, *Der zweite athenische Bund* (Jahrb f. class. Philol., suppl. VII, p. 661, 662).

sit, cum anno 1873 Kanitzius [1], anno 1874 Gleinigerus [2] simul Zurborgiusque [3] novorum argumentorum pondere labefactam Bœckhii sententiam confirmare vel renovare conati sunt. Optime quidem ambo monuerunt graviter in disputatione Hagenium peccavisse ; ambo Phocensium deditioni libellum anteriorem esse comprobaverunt. Quis enim ultimis Skirophorionis mensis diebus, cum a Delphis Phocenses recessissent Phocidisque urbes a Philippo victore occupatæ essent, quis vir, recti quidem judicii, Athenienses admonere potuisset ut non *belli societate,* sed mittendis per Græciam legatis, μὴ συμπολεμοῦντες, ἀλλὰ πρεσβεύοντες [4], Delphicis rebus subvenirent ? Si verborum potestati et perpetuo dicendi usui credendum est, verbo συμπολεμεῖν sine dubio significatur cum aliquo conjunctum contra aliquem bellare, vel bello interesse. Quid enim, si pax jam erat terminatumque sacrum bellum, hoc verbo intelligendum sit ? Quis quoque, si sana mens fuisset, cum Philippus per Bœotiam Phocidemque omnia victor disponeret [5], Delphici templi αὐτονομίαν legationibus restitui posse credidisset ? Quis tandem, cum non solum Amphictyonum plerorumque adversus Phocenses auxilio, sed Philippi præsertim societate Thebani inniterentur, quis omnes Græcos unanimes ad vindicandam Thebanorum inju-

---

1. Kanitz, *De tempore et auctore libelli qui inscribitur* Πόροι. Dramburgii, 1873.

2. Gleiniger, *De Xenophontis libello qui* Πόροι *inscribitur*. Halis, 1874.

3. Zurborg, *De Xenophontis libello qui* Πόροι *inscribitur*. Berolini, 1874.

4. *Vect.*, V, 9.

5. Demosth., *De fals. leg.*, 141, 60.

riam Atheniensibus adfore speraret pollicereturque? Quibus aliisque, secundarii quidem ordinis, argumentis satis refutata Hagenii sententia, Gleinigerus Zurborgiusque, Cobeti conjectura plane comprobata, ad annum 355 iterum libellum nostrum retulerunt, Xenophonteumque opus extremis Ol. 106.1. diebus, post finitum sociale bellum, ante occupatum a Philomelo Delphicum fanum, confectum esse censuerunt.

Quam sententiam unanimo doctorum consensu confirmatam [1], satis comprobatam et nos putaremus absolutamque quæstionem judicaremus, nisi ultimis annis Holzapfelius exstitisset, qui novis argumentis Hagenii conjecturam ad lucem reducere conatus est [2]. Cum tamen de loco V, 9 Gleinigerum Zurborgiumque rectius disputavisse ipse negare non posset, Hageniana somnia hac quidem in parte relinquere coactus est ; et cum post Phalæci deditionem finitumque sacrum bellum libellum scriptum esse nullo modo contendere posset, locorum saltem IV, 40 et V, 12 fictam inter se repugnantiam rursus in disceptationem vocavit, Hageniique rationibus innixus, pacem IV, 40 commemoratam eam esse quæ a Philocrate icta, anno 346 Elaphebolionis mensis die 19 ab Atheniensibus accepta est, comprobavisse se quoque speravit. Quam sententiam aliis quoque, nec ineptis quidem, argumentis confir-

---

1. Nitsche, *Zeitsch. f. Gymnasialwesen*, 1874, p. 955 seq. — Schanz, *Beitr. z. Kritik der Schrift* περὶ Πόρων (Rhein. Mus. 1881, p. 215). — Curtius, *Hist. grecque*, V, 320, (qui primum Hagenii opinionem secutus, rursus sententiam mutavit.

2. Holzapfel, *Ueber die Abfassungszeit der dem Xenophon zugeschriebenen* Πόροι. (Philologus, 41, 2, 242-269.)

mavit, ita ut, post Philocratei fœderis conclusionem, ante Phalæci deditionem, libelli confectionem poneret; et, ne certæ temporum rationi quidquam deesset, inter anni 346 Elaphebolionis mensis diem 19 et Skirophorionis diem 23 conscriptum esse opus statueret.

Restat, ne ullum de quæstione nostra testimonium omittamus, ut emendationem quamdam, nec infelicem illam, memoremus, qua Madvigius[1] simul Nitschiusque[2] loco V, 9 subvenire conati sunt. Recte enim ambo adversus Cobetum monuerunt scriptori, si Delphicum templum revera a Thebanis occupatum significare voluerit, neque ἐπειρῶντο, neque οἵτινες dicendum fuisse, sed et οἵ et πεπείρανται. Eleganter igitur loco emendato, πειρῷντο pro ἐπειρῶντο scripserunt, ita ut nec Phocensium deditionem nec templi a Thebanis occupationem commemorari putassent, sed hoc tantum his verbis significari : si quando a Phocensibus templum desertum fuisset, tunc fieri posse ut προστασίαν Thebani sibi vindicarent. Cui emendationi et Curtius et Zurborgius[3] et Holzapfelius[4] et qui recentissimus omnium Xenophontis vitæ illustrandæ operam dedit, Ad. Roquette[5], assentiri non dubitaverunt. A simili tamen initio profecti, non eamdem omnes conclusionem invenerunt : omnes confectum esse libellum, cum jam Philomelus templum occupasset bellumque sacrum ortum

---

1. Madvig, *Adversaria crit.*, I, p. 364.
2. Nitsche, *loc. laud.*, p. 957.
3. In editione.
4. *Loc. laud.*, p. 254-255.
5. Roquette, *De Xenophontis vita*. Regimonti Borussorum, 1884, p. 93-94. Cf. J. J. Hartmann, *Analecta Xenophontea*. Leipzig, 1887.

esset, existimaverunt; sed dum Holzapfelius operis confectionem ad ultimum belli annum referret, alii contra primo ejusdem belli anno conscriptum esse libellum posuerunt.

Ut breviter igitur tot scriptorum diversas opiniones resumamus, quattuor præcipue de libelli nostri tempore sententiæ exstiterunt. His anno 346 conscriptus videtur, sive post Phalæci deditionem (Hagen, Busolt), sive ante Phocensium a Delphis recessionem, Philocratea tamen pace jam ab Atheniensibus icta (Holzapfel). Illi anno 355 confectum opus asserunt, sive ante occupatum a Phocensibus Delphicum templum, confecto tamen jam sociali bello (Bœckh, Schäfer, Cobet, Gleiniger), seu ultimis ejusdem anni diebus, postquam audaci facinore Philomelus Delphico fano et urbe potitus esset (Roquette, Nitsche, Zurborg, Curtius). Quas diversas sententias nos quoque in disputationem vocare necesse est, ut de vero libelli tempore quid censendum sit nos quoque statuamus.

CAPUT II.

DE VERO LIBELLI NOSTRI TEMPORE QUID STATUENDUM SIT.

Non nobis in animo est Hagenii sententiæ longius immorari et docti viri existimationem, Gleinigeri Zurborgiique dissertationibus jam satis refutatam, rursus in disceptationem vocare. Holzapfelii potius argumenta percensere nos liceat, qui, cum Hagenianæ conjecturæ acutissimus et pertinacissimus defensor exstiterit, tam certum de quæstione oraculum edidisse sibi visus est, ut ne controversiæ quidem locum servaret[1]. Quid de audaciore illa opinione judicandum sit, paucis videamus : et, ne æquum certamen recusare videamur, quibus rationibus ad hanc existimationem Holzapfelius adductus sit, primum perscrutabimur.

Jam commemoratum Hagenii argumentum, quo eamdem pacem locis V, 12 et IV, 40 significari negabat, Holzapfelius in lucem revocavit. Cum hic V, 12 reipublicæ opes, bello exhaustas, jam vero pacato mari, rursus auctas esse (ηὐξημένας τε τὰς προσόδους), illic IV, 40 exacto bello Atheniensium summam egestatem notari[2] et meliorem ærarii statum in proximum annum reservari existimet ; cum hic facti certam fidem, illic spem tantum habere scriptor videatur, ad eamdem pa-

---

1. *Philol.*, p. 264, 268.

2. Quæ Hagenius, locum IV, 40 male interpretatus, de pecuniis quæ ex temporibus ante factam pacem in ærario superessent dixerat, Holzapfelius tacite correxit.

cem duos locos referri posse quis contendat? Deinde, si unum idemque fœdus duobus locis commemoratur, cur, cum revera auctos Atheniensium reditus V, 12 scriptor significet, non has opes quæ in promptu sunt, sed incertos futuri anni reditus ad perficienda consilia adhiberi velit? Quis tandem reipsa reditus auctos V, 12 dicere potuisset, nisi a pace facta jam longius intervallum intercessisset? At IV, 40 commemoratam pacem modo initam esse necesse est, cum scriberetur libellus noster. Adde argumenta duo e rerum gestarum memoria desumpta[1]. Cum solerent Athenienses præcipua reipublicæ vectigalia locare, et certa quotannis pecunia a conductoribus in ærarium publicum referretur, quem ante peractum annum 356/355 ex reditibus auctis fructum respublica capere posset? E commercio sublevato auctoque, e frequentiore mercatu, ex peregrinorum conventu conductorum opes crescebant, nedum adjuvaretur ærarii egestas. Scriptorum deinde testimoniis confirmatur summam fuisse anno 355/354 Atheniensium reipublicæ inopiam : quid igitur sibi volunt aucti reditus isti a libello nostro commemorati, quomodo ad publicúm ærarii statum hoc ipso anno referri possunt, quo Demosthenes nihil in ærario urbi superesse aperte confitebatur[2]? Huic anno, si vis, referas quæ V, 12 de exhausto ærario privatorumque inopia scriptor exposuit : quæ IV, 40 ad prosperiorem reipublicæ statum spectant, si velis intelligere, post Philocrateam pacem scripta esse judices.

Quamquam superbiore voce Holzapfelius contendat

1. *Philol.*, p. 246-248.
2. Demosth., *c. Leptin.*, 24.

Gleinigeri Zurborgiique dissertationibus ne motam quidem fuisse Hagenii opinionem[1], argumentorum seriem si nos quoque liceat breviter percensere, non tam male inter se convenire duos in disputationem vocatos locos apparebit. Non idem redituum genus duobus locis significatur. Hic V, 12 commemorantur publicæ civitatis pecuniæ pacato mari auctæ : quem proventum e commercio refecto, ex inquilinis, mercatoribus, peregrinisque rursus Athenas confluentibus quis non perspicere posset, dummodo inter factam pacem et tempus quo libellus conscriptus sit aliquos menses intercessisse existimes? quod intervallum, si ultimis anni 355 diebus confectum libellum nostrum statuas, sex prope mensibus minus non invenias. IV, 40 contra non ærarii sed privatorum egestas significatur, quos exactum bellum tributorum pondere adeo attrivit, ut ne tantulum quidem publicis utilitatibus contribuere possint. Cum igitur ad perficienda scriptoris consilia solitæ deficiant εἰσφοραὶ, ne inanes tamen maneant splendidæ auctoris pollicitationes, civium inopiæ ita succurrere voluit. Belli tempore certum quidem pretium vectigalia reddiderunt, ex quo, quantulumcumque fuerit, administrari tamen potuit respublica : nunc, facta pace, eadem pecunia si civitas administretur, si sumptu quam minimo publicis necessitatibus provideatur, non deerunt, cum sine dubio pacis tempore reditus augeantur, certa vectigalia quæ ad scriptoris consilia perficienda adhibeas. Conveniunt igitur optime inter se famosi duo loci, nedum alter alteri repugnet.

---

1. *Philol.*, p. 247.

Dicet tamen aliquis : cur, si revera aucti sunt reipublicæ reditus, si prosperiore ærarii statu privatorum inopiæ succurrere licet, proximi tantum anni ratio habetur, cum statim novis emolumentis respublica frui posset? E propriis Holzapfelii argumentis ambiguæ quæstionis remedium hauriemus. Quis neget peritum rerum publicarum virum e commercio minus impedito, e mercatorum multitudine rursus Athenas confluente, e rerum venalium majore exportatione ac importatione feliciorem ærarii statum suspicari posse, et cum ita augeantur portoria vectigalia, revera reipublicæ reditus auctos esse contendere? Sed cum certa locationis tabula adhuc alligetur civitas, cum exacto nondum stipulationis anno, hoc tantum a conductoribus in ærarium referatur, quantum ante factam pacem vectigalia reddebant, ὅσα πρὸ τῆς εἰρήνης χρήματα εὕρισκε τὰ τέλη[1], ad proximum annum necesse est omnem auctorum redituum fructum reservari. Cum, novis confectis stipulationibus, auctus redituum proventus e conductorum manibus rursus in publicum redigetur, tum pacis fructus revera respublica percipiet, scriptorisque pollicitationes effectum invenient. Sed jam perspecti comprobatique vectigalium incrementi, licet insequenti tantum anno in publicam administrationem impendatur, cur nulla ratio jam nunc habeatur?

Confiteor equidem summam fuisse anno 355/354 Atheniensis ærarii egestatem : sed quid, quæso, sibi proposuit libelli nostri auctor, nisi ut egestatis illius remedia quæreret[2]? Nisi gravi inopia laboravisset

1. *Vect.*, IV, 40.
2. *Vect.*, I, 1-2.

Atheniensium respublica, vix intelligeretur scriptoris nostri consilium. Ne dicat nobis Holzapfelius et anno 346/345 prope exhaustum fuisse publicum ærarium[1], neu festorum dierum commemoratam pompam[2], murorum et navalium notatam reparationem[3] ante annum 346 intelligi non posse contendat. Quo modo egregios fructus e consiliis suis respublica percipere posset, non quo tempore certum consiliorum effectum inveniret scriptor noster indicare voluit[4] : cum anno 355/354 certam ærarii egestatem animadverteret, melioris status vias civibus aperire voluit : at magnificas pollicitationes splendidissimasque spes in futurum proposuit, non certorum factorum mentionem fecit.

Ne talibus argutiis longius immoremur, quis, quæso, sanæ quidem mentis, si integro animo duos locos istos legat, duas paces in illis commemoratas existimet? Quis, postquam IV, 40 amplius propter pacem pacisque fructus vectigalia reddere scriptor dixerit, cum paulo infra V, 12 eamdem sententiam iisdem prope verbis expressam inveniat, hic ad Philocrateam pacem, illic ad sociale bellum auctoris verba referenda censeat? Quis cum IV, 40 recentis belli, ἐν τῷ νῦν πολέμῳ, memoriam, hic alius belli iisdem fere verbis commemorati, ἐν τῷ νῦν χρόνῳ διὰ τὸν πολέμον, mentionem inveniret, nunc ad Philippum, nunc ad socios mentem adverteret? Si IV, 40 vere commemoratur Philocrateum fœdus, quis, anno 346, ut optime

1. *Philol.*, p. 264-265.
2. *Ibid.*, 260-261.
3. *Ibid.*, 263.
4. *Vect.*, VI, 1.

Gleinigerus monuit[1], de bello sociali, cum V, 12 verba audiret, cogitare potuisset? « Si bello cum Philippo gesto reditus multi deficiebant, nemo nisi insanus propter pacem cum sociis factam reditus augeri dicere poterat, sed propter pacem cum Philippo factam[2]. »

Quæ cum ita sint, unam eamdemque pacem duobus locis IV, 40 et V, 12 significari nihil repugnat, illamque anno 355 post sociale bellum initam. At certioribus adhuc argumentis confirmatur comprobaturque sententia nostra : quod nunc nobis demonstrandum est.

Ex pluribus libelli nostri locis[3] satis constat eo anno, quo verba faceret auctor, Atheniensibus pacem fuisse. Quis autem, si Holzapfelio credas, anno 355 pacis beneficia celebrasset, cum jam ab anno 357/356 apertum cum Philippo bellum flagraret? Quis, cum Amphipolim Pydnamque a Macedoniæ rege captas, cum Athenienses colonos e Potidæa ejectos videret, et nova in proximum annum jam imminentia pericula sentiret, quis adeo stultus aut negligens fuisset, ut jam fugienti paci tenaciter hærere potuisset inanesque de Delphica umbra legationes jactare? E rerum gestarum memoria responsum nos hauriemus. Quis, quæso, temporis hujus Atheniensis civis, cum longinqui Philippi progressus Athenis nunciarentur, hujus belli curam alacriter et strenue unquam suscepit? Quis, cum aut flagraret adhuc socialis belli furor, aut fessas attritasque vires vix civitas reficeret, obscuras barbari regis in Thracia expeditiones unquam pro bello habuit? Non

1. Gleiniger, *op. laud.*, p. 7.
2. Cf. *Philol.*, 265-266.
3. *Vect.*, IV, 40-43 ; V, 12.

nego equidem aliquanto post, cum Pagasas, Magnesiam Thessaliamque Philippus suo arbitratu composuerit, et jam Thermopylas et Græciæ aditus prope tenuerit, tum Atheniensibus in mentem venisse ex Amphipoli capta vere bellum ortum fuisse : at anno 355 quis venientis periculi justus æstimator fuit ? Ne miremur igitur libelli nostri auctori nec Philippi nec belli curam fuisse, cum peritissimus ille rerum publicarum propugnator Demosthenes ipse *pacis tempore* (εἰρήνης οὔσης) socias Atheniensium urbes perditas fuisse confiteatur [1] ? Quid, cum auctor libelli nostri id potissimum propositum habuerit, ut qua ratione, adjuvante pace, civitatis reditus augeri possint edoceret, obscuri belli tumultu splendidas pollicitationes suas turbavisset ? Ne dicat nobis Holzapfelius libelli nostri auctorem de Philippo cogitare et potuisse et debuisse, iisdem prope verbis saltem usum quibus Isocrates in oratione illa de pace utitur [2]. At in Areopagitico, quam orationem statim post pacem cum sociis ictam compositam fuisse recte statuas, ipse Isocrates et pacem celebrat [3], qua tempore suo civitas fruitur : locum autem quem in causam Holzapfelius vocavit, si diligenter perpendas, mirum est quibus mendaciis scriptor sibi blandiatur. Et ille legationibus confidit quibus futura omnia ultro se recte habitura opinatur ; et ille facilem commodumque Philippum sibi fingit, qui ultro Atheniensibus ereptas civitates restituat. Hujusmodi

1. Demosth., *Ol.*, III, 28. Cujus vim ipse Holzapfelius confitetur. (*Philol.*, 250, not. 1.) Cf. Demosth., *Cherson.*, 56.

2. Isocr., *Symm.*, 22.

3. Isocr., *Areopag.*, 1.

blanditiis multi oratores et populum et semetipsos eo tempore delectabant; perditas civitates, amissum maris principatum, auctas Philippi opes parum faciebant Eubulus ejusque sectatores : quid enim? ut Demosthenis verba usurpemus, « si hæc vitiosa erant, urbanarum certe rerum status nunc melior erat »[1] : et restituta propugnacula, refectas vias, exstructos fontes et splendidas ædes ostentabant, reipublicæ detrimentum pro nihilo ducentes nec proximum bellum prospicientes : quod enim quisque vult, id facile sibi fingit; et inani perpetuæ pacis spe semetipsos et populum decipiebant. Quid mirum igitur si Isocrates et libelli nostri auctor, fidelissimi, ut infra videbimus, hujus partis ambo sectatores, pace otioque nihil optabilius esse contendant, libenterque Philippi istius Thracica nocte demersi memoriam amiserint? Quid enim? cum aliquanto post Philippus manifeste bellum gereret, injuste ageret, urbes occuparet, Eubulus factionisque ejus oratores eum bellum facere negabant[2] : ne miremur igitur si longinquum periculum, etsi patriæ amantissimus, scriptor noster parum curaverit : quo errore delectabatur, tota civitas gaudebat. Vix Thessalia capta (352) Athenienses expergefaciet[3].

Holzapfelio concedamus tamen mira quadam negligentia Philippi ne nomen quidem anno 355 in scriptoris mentem venisse. At si anno 346 libellum, Hol-

1. Demosth., *Ol.*, III, 29.

2. Demosth., *Cherson.*, 56.

3. Animadvertendum est tamen libelli nostri auctorem futuri cujusdam belli curam habuisse (IV, 41-43), et ipsum forsan Philippum, obscuris quidem verbis, loco V, 13 designari. Otium enim postulat scriptor noster, sed otium cum dignitate.

zapfelio auctore, compositum statuamus, quo nomine negligentia ista, aut amentia potius, vocanda sit? Hoc anno, cum Philippus victor prope ad portas staret, cum, Græciæ aditu occupato, Bœotiam teneret et arbitratu suo Delphicum templum jam administraturus esset, hoc anno, cum ex pace vix icta jam novæ belli minæ surgerent, hoc anno quis, nisi stolidissimus, Philippum negligere potuisset? Si anno 355 libellum nostrum scriptum esse statuas, scriptoris silentii facilem rationem reddas : si anno 346 illum conscriptum velis, hujusmodi negligentia plane absurda esset.

Ut illum argumenti sui effectum effugeret, miro quodam modo Holzapfelius adnisus est : quo ut eveniret, desperatum illum locum V, 9 novo quodam remedio sanare voluit. Cum et ille, Cobeto auctore, Bœckhii sententiam improbet, ipsius tamen Cobeti conjecturæ minus assentitur, nec qua causa moti Phocenses capto templo tam breviter excesserint, nec qua cunctatione tardati Thebani derelictum fanum occupare conati tantum sint, nec revera occupaverint, satis intelligit[1]. Madvigii igitur emendationem commode amplexus, optimam, sententia mea, verborum significationem tam ancipiti loco attribuisset, nisi, infelici quodam studio rectam interpretationem propriæ conjecturæ conciliandi, verba omni modo torsisset ut annum 346 ex illis exprimeret. Scriptoris verba audiamus et plaudamus[2].

Cum libellum nostrum anno 346 auctor conscriberet, Athenienses, Philocrate auctore, jam pacem cum Phi-

---

1. *Philol.*, p. 251 sqq.
2. *Ibid.*, p. 255-259.

lippo composuerant : Phocenses in fœderis societatem non recepti sacrum adhuc bellum sustinebant ; at jam imminebat Philippus, Thebanorum societate fretus, qui longiori bello finem imponeret. Quo, tam difficili rerum statu, se conferrent Athenienses nesciebant : si Phocenses incolumes vellent, jam auxilium sociis ferendum erat, ex quo novum cum Philippo bellum exarsurum neminem fallebat. Si recenti quidem fœderi fidem servare cuperent, Philippo quidem contra Phocenses auxilia mittenda erant, cujus infamiæ Philocrates auctor et Philippus ipse flagitator erat [1], Demosthenes autem et alii patriæ amantes oratores acerrimi detrectatores. Quam igitur salutis viam, utilitati simul otioque et dignitati commodam, invenirent, anxii quærebant Athenienses. Paucis ante mensibus, Thebani, longioris belli diuturnitate afflicti, aperte ad Athenienses confugerant [2], ut mutuas inimicitias simultatesque componerent ; nec spes defuisset sacrum bellum terminandi, nisi Philippus, ne civitates convenirent, Thebanos auxilio adversus Phocenses, Athenienses pace oblata decepisset divisissetque. Hæc una, tentata quondam, nunc Atheniensibus via restabat, ut ipsi, antequam Philippus armis omnia disponeret, legationibus Phocenses cum Thebanis reconciliarent ; hæc una via, ne Macedoniæ regem sinerent summa rerum in Græcia potiri. Hujus sententiæ Demosthenes auctor erat [3] ; huic opinioni, si Holzapfelio credas, et libelli nostri auctor eo tempore favebat, ea consilia civibus suis loco

1. Cf. Demosth., *De fals. legat.*, 49-51.
2. Demosth., *De Cor.*, 19.
3. Schäfer, *Demosthenes*, II, 178-179.

V, 9 proponebat. Nonne plena luce obscuritates illæ nunc collucent? Quinam sunt illi qui, derelicto a Phocensibus templo, Delphicum fanum occupare conarentur? Aperte verbo illo οἵτινες Philippus designatur, nedum significentur Thebani. Adversus illum de liberando templo per universam Græciam mittendæ sunt legationes, quibus et Thebanorum ipsorum comparetur auxilium. Verbo συμπολεμοῦντες quid significetur si quæras, in Philocratem manifeste dictum videtur ejusque oratoris amicos, qui Philippum armis adversus Phocenses adjuvandum censebant. Nova ista interpretatione et locus V, 13 illustratur : quis enim, nisi Philippus, Atheniensium civitatem injuria aliquando adficiet?

Subtili quidem modo argumentorum seriem ordinari libenter concedimus. Quid autem, quæso, sibi volunt auctoris nostri spes illæ inanes unanimes Græcos adversus Philippum conjungendi, eo maxime anno, quo, Demosthene auctore, commune bellum potius Atheniensibus timendum erat quam ceterorum Græcorum societas speranda[1] : ut ex præclarissima enim illa Demosthenis de pace oratione luculenter apparet, Athenienses tunc nec socios habuissent, nec, quod scriptor vehementissime appetit, pacem conciliavissent, sed gravissimum bellum facile excitavissent. Quid sibi vult quoque mirum illud de Philippo silentium? Miratur Holzapfelius anno 355 omissum Macedoniæ regem, neglectas belli minas : nonne mirandum potius cur anno 346, cum præsertim reipublicæ utilissimum consilium

---

1. Demosth., *De Pace*, 17-19.

et quasi unicam salutis viam proponere velit, scriptor obscurissimis tantum verbis Philippum designaverit, et ne nomen quidem regis libello inserere ausus sit? Adeone periculi plena hæc fuisset audacia, ut, vix icto fœdere, Philippi nomen ægre audituri fuissent Athenienses? Ne nugis igitur et supervacaneæ conjecturæ longius immoremur.

Cum, ut supra demonstravimus, optime inter se convenire locos V, 12 et IV, 40 concedendum sit, nihil necessitatis inest cur libellum anno 346 confectum putemus : quæ cum ita sint, non video cur anno 346 scripta sint verba illa V, 9, quorum interpretatio optime ad annum 355 referri potest. Cur tandem, quæso, si anno 346 libellum scriptor composuerit, omnium post annum 355 gestarum rerum memoria plane ex animo excidit? Cur vetera illa et obscura ex Arcadiæ historia desumpta exempla colligit, cum tot clariora auxilia Eubœis (350) vel Olynthiis (348) ab Atheniensibus lata silentio prætermittat? Ne contendat Holzapfelius[1] hic quoque obscuris verbis sed clarissimo modo loco III, 8, expeditiones illas significari. Si scripta intelligi velit, intelligenda scribat auctor necesse est : nec nos certarum rerum commemorationem fictis rationibus et per hypothesim e cogitatione depromptis præponemus.

His omnibus rebus circumspectis, nullo pacto ad Philocrateam pacem ancipites libelli nostri loci referri posse videntur : et Hagenianæ sententiæ, vel novis Holzapfelii argumentis corroboratæ, nullo modo videmus cur assentiamur. Cum igitur his annis nulla altera pax icta

1. *Philol.*, p. 266, 267.

sit præter illam qua sociale bellum Athenienses terminaverint, aperte ad annum 355 conscribendi libelli tempus referendum est; ex loco enim IV, 40 lucide apparet ipso fœderis anno libellum conscriptum fuisse. Restat nunc ut quæramus utrum ad annum 355 bene referri possit Atheniensium reipublicæ status, qualem in libello nostro expressum invenimus.

CAPUT III.

QUIS FUERIT ANNO 355 RERUM PUBLICARUM ATHENIENSIUM STATUS.

Commemorat libelli nostri auctor loco V, 8 universam rerum in Græcia perturbationem, qua, sententia sua, sine labore, sine periculo, sine sumptu Græcos sibi rursus adjungere Athenienses possint : quæ quidem verba Holzapfelius ad annum 346 referens, nullam significationem, si libellum anno 355 scriptum statuas, habere contendit [1]. Concedo equidem anno 346 multas Græciæ respublicas bellis turbisque civilibus agitatas fuisse; concedo tunc Argivos et Messenios et Megalopolitas Spartanis infensos fuisse ; concedo et Argivos civilibus discordiis laboravisse. Quid tamen? Ex oratione illa a Demosthene eo ipso anno de pace habita exploremus quales ex tali confusione spes percipere Athenienses possent. Peloponnesii quidem Lacedæmoniis succensebant, sed multo magis adhuc Atheniensibus infensi erant : Thessali Thebanique Phocensium odio flagrabant, sed multo magis adhuc Atheniensibus inimici erant [2], timendumque erat ne ex Phocensi bello communem prætextum invenientes, universi, privatis quique offensis irati, communi bello

---

1. *Philol.*, p. 259.
2. Demosth., *De Pace*, 18-19.

Athenienses aggrederentur. Nonne tunc, ut ipse Demosthenes ait, stultum et absurdum fuisset[1], cum in tam ancipiti loco respublica versaretur, inopportunis legationibus Græcos ἀνακτᾶσθαι tentando, Philippo et sociis quæsitum belli prætextum ultro offerre? Non de amisso principatu tunc agebatur, sed de salute vitaque : nec odiosa benevoli arbitri persona tunc sustinenda erat, cum Philippus prope ad Atticas fines castra posuisset.

Longe aliter anno 355 res sese gerebant. Eo tempore iisdem fere verbis commemorat Demosthenes universam Græcorum perturbationem. Tota Peloponnesus in factiones divisa erat : Lacedæmonii, vix a Thebanorum timore liberati, amissum imperium recuperare studebant Messeniosque in pristina jura restitutos ægre ferebant; Argivi et Megalopolitæ adversus Spartanos ira flagrabant; et cum Phocense conflatum bellum Thebanorum vires curamque a Peloponnesiacis rebus totas avertisset, Spartani potentiam suam vel armis recuperare conabantur, ita ut omnes civitates litibus et confusione agitarentur[2]. Quin imo civilibus perturbationibus plures respublicæ laborabant, quas ad proprium quæstum vertere paulo post Philippus studebit[3]. In Thessalia quoque jam ab anno 359 seditiones flagrabant et contra tyrannorum familiam Thessala nobilitas bellum mortemque parabat[4]. Insulani tandem, vix

1. Demosth., *De Pace*, 26.

2. Demosth., *De Cor.*, 18, τις ἦν ἄκριτος καὶ παρὰ τούτοις καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἔρις καὶ ταραχή. Cf. *Philol.*, p. 259, 260.

3. Demosth., *De Cor.*, 19. *De fals. leg.*, 10.

4. Curtius, *Hist. grecque*, V, 60.

Atheniensium imperio liberati, jam factionum discordiis agitabantur[1] et vix receptæ libertati jam insidiabantur Mausolus Cariæ princeps Persarumque rex Artaxerxes Ochus[2]. Quæ civitates, cum omnes non satis valerent, nec ut se ipsas defenderent nec ut hostes everterent, omnes ad Athenienses oculos convertebant; nec spes inanis erat communi omnium infirmitate utendi ad reparandum Atheniensium imperium. Quæ spes non multo post effectum præstitit. Jam anno 355 Argivi Messeniique legatos Athenas miserunt, qui auxilia adversus Lacedæmonios peterent[3]; paulo post ictum cum Messeniis fœdus, quo opem ferendam Athenienses pollicebantur; anno 353 Megalopolitæ Atheniensium auxilium pro civitatis defensione implorabant[4]; anno 351 Rhodii tandem pro libertate restituenda ad Atheniensium urbem supplices confugiebant : quos omnes populus benigne excepit, quasi digna occasione inventa suspiciones calumniasque cum bona fama refutandi[5]. Quis igitur negare possit, cum talis reipsa rerum status annis 354 et sequentibus fuerit, haud stulte tales spes jam anno 355 concipi potuisse? In oratione de Symmoriis anno 354 habita, Demosthenes, dum ceterorum Græcorum turbas et diffidentiam notaret[6], oblatam quoque occasionem commemorabat Græcos omnes convo-

---

1. Demosth., *De Rhod. lib.*, 14, 19. — Schäfer, *op. laud.*, I, 428. Curtius, *Hist. grecque*, V, 127, 128.

2. Demosth., *De Rhod. lib.*, 2; *De Symm.*, 12.

3. Schäfer, I, 462.

4. Demosth., *De Megalop.*, 8. Cf. *C. I. A.*, II, 1, 112.

5. Demosth., *De Rhod. lib.*, 2.

6. Demosth., *De Symm.*, 37, ἕνεκα τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ταραχῆς καὶ ἀπιστίας.

cando[1] pacem concordiamque restituendi[2]. Haud aliter, ut infra videbimus, in oratione illa eodem fere tempore de pace habita Isocrates verba faciebat : nec absurdæ spes illæ videbantur quibus, Thebanorum simul et Lacedæmoniorum infirmitatem æternando, ceteros Græcos in societatem recipiendo[3], amicitiam suam omnibus civitatibus tanquam firmissimum incolumitatis pignus Athenienses proponere possent[4].

Si nunc ab externarum rerum cura ad publicorum redituum administrationem venimus, hoc primum observamus, totam auctoris nostri sollicitudinem in hoc unum impendi, ut qua ratione Atheniensium reditus satis exhausti augeri possint doceat. Huc tota oratio spectat, huc splendida illa de administranda reformandaque republica consilia. Hujusmodi autem consilia, qualia scriptor noster proponat, quo præsertim anno 346 tenderent non plane perspicio. Non infitior equidem bello cum Philippo acto multa talenta consumpta fuisse[5], et inopia laboravisse ærarium publicum : cur autem, pace restituta, quasi nova publicorum redituum ratio formaque invenienda fuerit non satis liquet. Quid post Philocrateam pacem in publici ærarii administratione tam grave acciderat, quod plenam publicæ οἰκονομίας refectionem exigeret ? Qui redituum fontes bello exhausti fuerant, quos non pax statim redditura erat ? Adde proximorum annorum spatio Eubuli cura optime

1. Demosth., *De Symm.*, 12.
2. *Ibid.*, 40.
3. Demosth., *De Megalop.*, 4, 5.
4. Demosth., *De Rhod. lib.*, 4.
5. *Philol.*, 261, 264-265.

levatam fuisse Atheniensis ærarii inopiam : intra septem annorum spatium quasi continua pace fruebantur Athenienses; commercio aucto reditus crescebant, prudenti administratione civitas pecunia abundabat, publicarum privatarumque constructionum ornatu splendebat. Ne nobis dicat Holzapfelius splendidas illas auctoris nostri pollicitationes, quibus festos dies magnificentius celebratos[1], publicæ pecuniæ usum civium arbitratui permissum[2] et restitutos muros et navalia refecta ostentat, omnes ante annum 346 quasi nullum invenisse effectum[3]. Confiteor equidem post finem socialis belli non statim tantas opes præsto fuisse, quæ tantis et tam multis impensis sufficerent : nec scriptor ipse præsentem effectum pollicitationibus suis reservari contendit. Id unum propositum habet ut quo pacto, serius ociusve, tam magnum bonæ administrationis fructum respublica percipiat ostendat : satis sit igitur, nisi statim post sociale bellum, at saltem ante annum 346 plures spes illas ad effectum pervenisse. Quid enim ? Jam anno 351 queritur Demosthenes nimia magnificentia festos dies celebrari, et plures in Panathenæorum et Dionysiorum ferias sumptus impendi quam in classes militesque[4]. Irridet anno 349 reparata propugnacula, refectas vias fontesque aliasque nugas et splendidas constructiones reipublicæ detrimento ædificatas[5]. Et Æschines commemorat Eubulo publicarum pecuniarum curam gerente

1. *Vect.*, VI, 1.
2. *Vect.*, V, 12.
3. *Philol.*, 260-263. Cf Hagen (*Eos*, p. 157, 158).
4. Demosth., *Phil.*, I, 35.
5. Demosth., *Ol.*, III, 29.

navalia et armarium ædificata[1]: et Dinarchus triremes sub Eubulo constructas et navalia facta, et ædificia in Piræo exstructa et Minervam novo ornatu dotatam laudat[2]. Quorum operum plurima pars, ante annum 346 inchoata vel saltem decreta[3], satis demonstrat libellum nostrum ante Philocrateam pacem scriptum fuisse[4]. Sub Eubuli administratione pecunia igitur non deficiebat: et prudentibus artibus refectum ærarium non unum cum Philippo bellum in tantam inopiam redegit. Testis Demosthenes, qui ipso anno 346 trecentas triremes et armamenta et pecunias propter pacem Atheniensibus superfuisse profitetur[5].

Quis contra fuerit anno 355 publici Atheniensium ærarii status? Ex omnibus temporis hujus testimoniis apparet summa tunc inopia laboravisse. Rempublicam ad summam egestatem reduci in oratione de pace habita Isocrates asserit[6] et pecuniam ultra mille talentorum in stipendia militum profusam fuisse[7]. Vacuum ærarium Demosthenes anno 354 denuntiat: ἐν κοινῷ μὲν

1. Æsch. c. *Ctes.*, 25. Cf. de restitutis muris *C. I. A.*, II, 833.

2. Dinarch. c. *Demosth.*, 96.

3. *C. I. A.*, II, 270. Æsch. c. *Tim.*, 80. Demosth., *De fals. leg.*, 60.

4. Contendit libelli nostri auctor ob tributa in bello exacta ne tantulum quidem a civibus contribui posse (*Vect.*, IV, 40). Hæc quoque ad annum 355 spectant: iisdem fere verbis in oratione de Symmoriis habita (354) Demosthenes commemorat adeo imminutas esse civium opes ut quidquid ab iis contribui posset quasi ridiculum esset. *De Symm.*, 27, ὅσα γὰρ ἂν νῦν πορίσαιτε... πλείων ἐστὶ γέλως τοῦ μηδενός.

5. Demosth., *De fals. leg.*, 89. Quæ verba non ad annum 343/342, ut Holzapfelio visum est (*Philol.*, p. 265), sed ad annum 346 melius referenda videntur.

6. Isocr., *Symm.*, 19.

7. Isocr., *Areopag.*, 9.

μηδ' ὁτιοῦν ὑπάρχει τῇ πόλει... χρήματ' οὐκ ἔχομεν, unumque a diis immortalibus precatur ut locuples rursus ærarium respublica habeat[1]. Quacunque via tentatur publicæ inopiæ succurrere. Androtion orator anno 355 trium rerum optionem Atheniensibus dari in concione profitebatur, aut sacra vasa consecanda, aut novas conferendas εἰσφόρας, aut a debentibus exigenda imperati quondam Nausinico archonte tributi reliqua[2]. Aristophon decretum rogabat, deligendos esse inquisitores, apud quos quicumque publicæ pecuniæ aliquid detineret, statim deferretur[3]. Leptines rogationem ferebat, qua omnes abrogarentur concessæ immunitates. Quid plura? Non solum sociali bello multæ pecuniæ consumptæ fuerant: sed ne spes quidem remanebat exhaustum ærarium pacis tempore facile reficiendi. Non solum reditus deerant, sed redituum simul fontes exhausti fuerant; non solum impedito commercio et neglecta agricultura laborabant Athenienses[4], quæ quidem finito bello novos rursus proventus afferre poterant; sed defecerant socii simulque deficiebat plurima amplorum tributorum pars[5]. Propterea novi publicorum redituum fontes quærendi erant; propterea ad alendam plebis inopiam novæ viæ hominibus inveniendæ erant, qui reipublicæ Atheniensium præerant; propterea Atheniensibus considerandum erat an aliqua ratione ex propriis

1. Demosth. *c. Lept.*, 24, 25. Cf. *ibid.*, 115, τότε μὲν γὰρ ἡ πόλις ἡμῶν καὶ γῆς εὐπόρει καὶ χρημάτων, νῦν δ' εὐπορήσει.
2. Demosth. *c. Androt.*, 48. De Androtione cf. *C. I. A.*, II, 1, 74.
3. Demosth. *c. Timocr.*, 11.
4. *Vect.*, IV, 40; V, 12. Isocr., *Symm.*, 19, 20.
5. Demosth., *De Cor.*, 234.

finibus ali possint. Quod ipsis verbis propositum habuit libelli nostri auctor [1]. Novo publicarum rerum statui nova publicarum pecuniarum forma ratioque accommodanda erat : hanc anno 355 ipsa rerum necessitas imponebat, ex sociali bello orta. Quid, quæso, si libellum anno 346 scriptum statuas, sibi vellent tot loci, quibus scriptor, initio fineque libelli, cives hortatur ut ceteris Græcis minus suspecti, sed gratiores et amiciores fiant [2] ? Quo spectat injuriarum sociis illatarum commemoratio, nisi ex injuriis illis gravia recentiaque detrimenta respublica cepisset ? Hæc novorum morum instituendorum cura, hæc admotarum quondam in socios artium damnatio, hæc quærendorum novorum redituum fontium sollicitudo, ad quod tempus melius conveniunt quam ad annum illum 355, quo injuriis illis accensi socii defecerant, quo corruerat imperium illud tamdiu violentia defensum, exhaustique fuerant præcipui quibus alebatur civitas redituum fontes.

Objicit Holzapfelius et anno 346 novæ pecuniarum publicarum ordinandarum rationi locum et necessitatem fuisse [3]. Non adeo enim imminuta fuisse post sociale bellum soluta ab insulanis vectigalia contendit, et prope centum vel nonaginta talentorum pecuniam adhuc exactam fuisse. Sed cum anno 350 Eubœa defecerit, tum vere συντάξεις defecerunt : sexaginta primum, paulo post anno 346 quinque et quadraginta tantum talenta a sociis solvebantur : quæ damna resarcienda scriptor noster potissimum in animo habuit. Addit Hol-

1. *Vect.*, I, 1.
2. *Vect.*, I, 1 ; VI, 1.
3. *Philol.*, p. 267.

zapfelius nullam post sociale bellum sociorum vexationibus finem impositam fuisse, Atheniensiumque prætorum avaritiam nec insulis nec civitatibus pepercisse. Speciosius hæc quam verius dicta mihi videntur. Incertum adhuc manet quæ pecuniæ post sociale bellum ab reliquis sociis exigerentur, nec satis liquet cur Demosthenis testimonio diffidatur, qui anno 355 quinque et quadraginta tantum talenta soluta fuisse asserit[1]. Adde vexationes illas ab Holzapfelio jactatas ad tractatam quæstionem minus pertinere, cum sexaginta illa talenta, sub tributi nomine Atheniensium prætorum avaritia exacta[2], cum legitima tributorum tabula nihil commune habeant. Adde vexatos illos socios jam ab anno 354 ad Atheniensium amicitiam reversos : testatur Demosthenes et Chios et Byzantios et Rhodios, postquam Athenas bello petiissent, paulo post solam salutis suæ spem in ipsis Atheniensibus rursus posuisse[3]. Adde ipso anno 346 socios Philocrateæ pacis participes esse voluisse, nedum Atheniensibus succenserent[4]. Adde tandem haud facile intelligi posse cur, anno 346, cum terrestria potius detrimenta respublica ceperit, cum summam reipublicæ curam Philippo Bœotarumque rerum conditioni adhibendam esse satis liqueat, tanto in libello nostro insulanorum sollicitudo, summis reipublicæ utilitatibus omissis, occurrat. Difficilius

---

1. Demosth., *De Cor.*, 234. — Cf. Schäfer, I, 28; Busolt, *op. laud.*, p. 734.

2. Æsch., *De fals. leg.*, 71.

3. Demosth., *De Rhod. lib.*, 2-4.

4. Æsch., *De male gest. leg.*, 60. — Cf. fœdus cum Mityleniis anno 347/346 ictum. *C. I. A.*, II, 1, 109.

adhuc intelligitur quomodo libellus noster ad internum Atheniensis reipublicæ statum convenire possit. In administrandæ civitatis forma nihil anno 346 mutatum est : iidem viri post Philocrateam pacem reipublicæ præerant qui antea publicarum rerum curam sustinuerant : nova ex contrario ordinandæ reipublicæ ratio libelli nostri auctori exigenda videtur. Novam disciplinam ineundam commendat, novis hominibus credendam rempublicam contendit; quæ absoluta rerum mutatio optime ad annum 355 convenit.

CAPUT IV.

QUIS ANNO 355 IN ATHENIENSIUM REPUBLICA FUERIT FACTIONUM STATUS.

Ab anno 361 summam rerum Athenis administrabat Aristophon Azeniensis orator [1], quo auctore, post Callistrati damnationem, novæ disciplinæ vias ingressa erat respublica. Antiquis veterum Atheniensium artibus imbutus, vivida in Spartanos ira flagrabat, et Lacedæmonios, tot recentibus cladibus debilitatos, nullo modo fractas opes reficere posse patiebatur. Quod propositum ut assequeretur, toto animo Thebanis studebat, et omni ope enitebatur ut illorum amicitiam Atheniensibus conciliaret [2]. Dummodo maris imperium Athenis concederetur, terrestrem principatum libenter Thebanis permittebat, duarumque civitatum societate universam Græciam facile regi posse sperabat. Eloquentia, diligentia egregiisque in rempublicam meritis multum apud populum valebat; nec animi vigorem impediebat jam provectior ætas. Patriæ amantissimus, quacunque via, vel per vim atque injuriam, Atheniensium principatum defendere vel augere cupiebat; nullisque artibus repugnabat quibus vel reipublicæ vel plebis utilitati serviret. His moribus per plures annos civitatem domi-

1. Cf. P. Girard, *Aristophon d'Azénia* (Assoc. pour l'encouragement des études grecques, 1883, p. 179-221). — Schäfer, I, 122-164.
2. Demosth., *De Cor.*, 162. — Æsch. *c. Ctes.*, 139. — Girard, *op. laud.*, 195-197.

natus est : populi favore fretus, omnes reipublicæ et proprios hostes acerrime lacessebat, nullis humanitatis temperamentis insitam severitatem mitigans, et promptum ad asperiora ingenium nulli necessitati accommodans. Gloriabatur se septuaginta quinque actionibus de decretis contra legem factis postulatum fuisse[1] : quodcunque enim vellet, tum agendi, tum scribendi libenter populus illi potestatem concedebat[2]. Quibus artibus haud parva in patriam damna adduxit.

Navale Atheniensium imperium conservandi studio, antiqui fœderis Nausinico archonte icti[3] fideique sociis datæ breviter oblitus est, et in pristinam licentiam relapsus, vexare civitates socias, cleruchias deducere, tributa exigere, urbes præsidiis firmare rursus tentavit, illatisque injuriis conflatas seditiones mira quadam severitate, magno reipublicæ detrimento, compressit[4]. In Ceo insula, cum Atheniensium adversarii, reipublicæ fautoribus ejectis vel necatis, bis a civitate defecissent, Aristophon prætor in insulam missus tam duris conditionibus tantaque avaritia victos vexavit, ut redux ab Hyperide in judicium vocatus, vix salvus evaderet[5]. Corcyræos paulo post, jam ab anno 377 in Atheniensium societatem a Timotheo receptos, Chares, Aristophontis amicus sectatorque, sævitiis imperitiaque a civitate alienabat, Atheniensiumque in occidentali mari

1. Æsch. *c. Ctes.*, 194.
2. Hyperid., *Fragm.*, 45.
3. *C. I. A.*, II, 17.
4. Cf. Busolt, *op. laud.*, c. 5, *Die Ursachen des Bundesgenossen-Krieges und die Beurtheilung der bundesgenössigen Politik Athens.*
5. Kœhler, *Mittheil. des d. Arch. Inst.*, II, 143. — Cf. Schol. ad Æsch., I, 64. — Hyperid., *Pro Euxenippo*, 29.

principatum amittebat. Quæ damna ut quodam modo repararet, frustra amissam Amphipolim Chersonesumque recuperandi spem Aristophon ostentabat : Timothei conatus omnes repulerunt Amphipolitani, totamque Thraciam Sestumque Cotys occupavit[1]. Undique corruebat navale Atheniensium imperium. Eubœa, factionum discordia civilibusque bellis agitata, ab Athenis deficiebat, Thebanorumque societati sese ultro offerebat[2]; jamque majus periculum imminebat. Mausolo Cariæ principe duce et auctore, omnes quasi socii simul deficiebant, Atheniensiumque prætorum mercenariorumque militum avaritiam ægre ferentes[3], gravissimum in rempublicam bellum accendebant. Frustra fractas mentes mira severitate Aristophon tollere conabatur : pecunia deerat, promptæ deerant classes[4], deerat certa rerum publicarum gubernatio. Frustra devicti duces in judicium vocabantur, communisque omnium negligentiæ pœnas inutiles dabant[5]; frustra exhaustum ærarium pessimis artibus Aristophon replere conabatur; frustra summa ope enitebatur ut totis viribus Athenienses incœptum bellum persequerentur : tot cladibus, tanta inopia oppressæ mentes nova onera recusabant. Tantum adhuc apud populum valebat Aristophon ut Timotheum, proditionis crimine in judicium vocatum,

1. Demosth. *c. Aristocr.*, 149 sqq. — Schäfer, I, 136 sqq.

2. Curtius, *Hist. grecque,* V, 101, 102.

3. Cf. Demosth., *Cherson.*, 24. — Æsch. *c. Timarch.*, 107. *C. I. A.*, II, 62. *Bull. Corr. hell.*, XII, 224-228.

4. Cf. *Mittheil. d. d. Arch. Inst.*, VI, 37.

5. Sic in judicium vocati sunt Autocles, Timomachos, Cephisodotos, Iphicrates, Menestheus, Timotheus. (Schäfer, I, 140-141 ; 153-157. — Girard, 207-209.)

centum talentorum pecunia anno 354 mulctare posset : sed Iphicrates Menestheusque populi judicio absoluti erant; et jam proximo anno, invito Aristophonte, pax cum sociis icta novam reipublicæ disciplinam, novæ factionis spes, nova populi studia manifeste testata fuerat[1].

Ultimis tamen anni 355 diebus Athenis adhuc dominabatur Aristophontis factio : testis est felix illa anno 354 in duces illata accusatio[2]. Sed insita animi severitate, durissima disciplinæ ratione multorum in se invidiam Aristophon excitaverat : rerum publicarum administratione exhaustum ærarium, amissos socios et longiori bello Atticam laborare populus querebatur, pacemque otiumque flagitabat. Pessimam ærarii gubernationem adversarii criminabantur. Multos annos quidvis et agendi et dicendi licentiam habuerat[3]; multos annos omnia suo arbitratu egerat et rempublicam quasi sub præcone vendiderat, auctoritatem suam populi decretis superiorem habens[4]; multos annos in urbe plurimum valuerat[5]; multos annos recipiendarum possessionum et veteris recuperandæ potentiæ spem jactando[6], prosperrima semper omnia et facilem victoriam promittendo, populi favorem et suffragia sibi conciliaverat. Nunc inimicitias, bella et sumptus immensos ex hujus-

1. Schäfer, I, 151, 166-167.

2. Cf. *C. I. A.*, II, 70, decretum anno 355/354, Aristophonte auctore, rogatum. Erravit igitur Hagenius, cum neminem hoc anno Athenis jam bello favere contenderet. (*Eos*, p. 153.)

3. Demosth., *De Cor. trierarch.*, 16, 22.

4. Demosth., *De fals. leg.*, 297. Cf. *De Cor.*, 219.

5. Hyperid., *Pro Euxenippo*, 29.

6. Isocr., *Symm.*, 6.

modi consiliis orta esse apparebat[1] et undique occurrebant tam pessimæ disciplinæ adversarii. Hyperides illatas sociis injurias incusabat neglectasque mitioris imperii leges[2]; invehebatur Demosthenes in malam publici ærarii administrationem turpesque ad levandam inopiam tentatas vias ; Hegesandros et Hegesippos eodem tempore Aristophontem oppugnabant[3]. Quin imo ipsi quondam oratoris amici deficiebant : Eubulus Probalinthius, qui Aristophonti quondam assentiebatur[4], jam anno 355 pacis cum sociis restituendæ auctor fuerat ; et nunc novas reipublicæ gerendæ rationes jactando, populi gratiam quærebat, qua subnixus ad summam rerum mox ipse perveniret.

Eubulus[5], cum primum publicorum negotiorum viam ingrederetur, in hanc præcipue tractandæ reipublicæ partem animum curamque intenderat, quæ ad publicorum redituum administrationem spectat. Externam gloriam, qua tamdiu intumuerant Athenienses, parvi faciens, amissos socios, amissum maris principatum parum curabat ; longioribus bellis neglectam agriculturam, commercium impeditum, imminutas civium opes, exhaustum ærarium graviter querebatur. Magnanima illa consilia aspernabatur, quæ in nova pericula magnasque impensas rempublicam trahere possent ; et pacem otiumque, quibus fractæ civitatis vires reficerentur,

1. Isocr., *Symm.*, 29.
2. Schol. ad Æsch., I, 64.
3. Æsch., *c. Timarch.*, 64.
4. Schäfer, I, 165, 166.
5. Cf. Curtius, *Hist. grecque,* 129-134. — Schäfer, I, 164-191. — Girard, *op. laud.*, 210.

avide postulabat. Pessimam præcipue pecuniarum publicarum rationem Aristophonti ignoscere non poterat, continuisque accusationibus omnipotentem dictatorem persequebatur. Nunc Aristophontis amicos Mœroclem, Cephisophontem, qui publicas pecunias averterant, incusabat[1]; nunc Charem strategum in judicium vocabat[2]; nunc Aristophontem ipsum de male gesta ærarii administratione criminabatur[3]. Ille quidem crimina criminibus repellebat[4]; sed continuis insectationibus petita imminuebatur viri auctoritas : Eubulusque contra populari studio subnixus in dies crescebat. Plebi tranquillam civitatem divitiis abundantem, spectaculorum festorumque splendore celebrem ostentabat ; divitibus tributorum finem, quibus tamdiu ad comparandas belli necessitates oppressi fuerant, promittebat : omnibus otium cum dignitate proponebat. Jam pacis cum sociis restituendæ auctor, turpissimo simul et iniquo fœdere libertatem sociis libens condonabat[5]. Antiquæ principatus cupiditati novam, omni injusto lucro alienam[6], disciplinam opponebat : ad rempublicam bene gerendam, ad obtinendam felicitatem pacis artes sufficere contendebat : ita rempublicam sine periculo tutam fore, agriculturam florentem, prosperum commercium, mercatorum concursu celebrem civitatem et, bene gesto ærario, omnibus divitiis abundantem tes-

1. Demosth., *De fals. leg.*, 293. — Schäfer, I, 173-174.
2. Aristot., *Rhet.*, I, 15.
3. Demosth., c. *Mid.*, 218. — Schäfer, I, 159.
4. Demosth., *De fals. leg.*, 291.
5. Schäfer, I, 169.
6. Isocr., *Symm.*, 7, 31, 32.

tabatur[1]. Non, ut olim, in classes et exercitus publicos reditus effundendos esse prædicabat, sed in dies festos apparatusque ludorum ; vectigalia, quibus antea milites remigesque alebantur, nunc populo dividenda esse renuntiabat, ut omnes, vel pauperrimi, cives festorum et spectaculorum participes fierent : nullumque bellum timendum fore asserebat, si a rerum alienarum cupiditate alieni, et nihil præter jus et æquum agendo pacis semper studiosi, Græcorum omnium amicitiam societatemque per legationes quærerent Athenienses[2]. Philippi in Thracia continuos progressus, Mausoli adversus insulanos insidias parum curabat ; si Atheniensium civitas, suis contenta, pacem et justitiam colere vellet, omnia prospera futura persuasum habebat[3]. Hujusmodi consiliis fessum populum tributorum pondere militiæque onere oppressum facile sibi conciliabat ; his artibus Aristophontis factionem paulo post eversurus, jam certo gradu ad summam rerum Eubulus progrediebatur.

Continuis igitur discordiis flagrabat anno 355 Atheniensium respublica. Aristophontis amici detrectatoresque criminibus conviciisque sese invicem lacessebant ; Eubulique factio quotidianos in viros qui summæ rerum præerant impetus faciebat : et ut adversarios e dominatione dejiceret, ut novam suam reipublicæ disciplinam populo commendaret, nec accusationibus nec orationibus abstinebat. Solitis adversantium artibus amplissimas spes et pollicitationes splendidissimas os-

1. Theopomp., X, *fr.*, 95, 96, *b*. Philinos (Harpocration, v° θεωρικά).

2. Isocr., *Symm.*, 23. — Demosth., *De fals. leg.*, 304. — Æsch., *c. Ctes.*, 58.

3. Isocr., *Symm.*, 22, 23.

tentabant præsentiaque damna pulcherrimis reformandæ reipublicæ consiliis pensabant. Quomodo tot tantaque promissa ulteriorem effectum invenirent, parum curabant ; sed Aristophontem factionemque ejus incusando, magnis verbis propriorum consiliorum vanitatem obumbrando, ex communi invidia propriam utilitatem quærebant. Cujus de dominatione certaminis testes nobis non desunt. In Aristophontem aperte dictæ sunt, Eubulo ejusque factioni manifeste favent duæ illæ orationes, quas Isocrates sub Areopagitici et Symmachici nomine eo præsertim tempore composuit[1]. In quibus nihil aliud oratori in animo fuit quam ut novæ disciplinæ utilitates omnium oculis proponeret, et jam ineundi regiminis principia quodam modo delinearet.

Callidus quidem prudensque conviciator nullum adversarium proprio nomine designavit : omnia autem aperte in Aristophontis factionem dicta esse quis dubitet? Improbissimos homines illos qui ebrii per urbem vagantur, corruptos illos oratores qui publicam pecuniam inter se dividunt et exactiones populi nomine sociis imponunt[2], ut ipsi ex illis fructum percipiant, quis Atheniensium ignorare posset? Pessimæ democratiæ fautores illos, Hyperboli istos et Cleophontis æmulos[3] quis non agnosceret? Commemorat Aristoteles Charetem hac oratione impugnatum fuisse[4]; quin imo, tota Aristophontis factio pari acerbitate

1. Blass, *Die Attische Beredsamkeit*, II, 273-282.
2. Isocr., *Symm.*, 13, 36, 124.
3. *Ibid.*, 75.
4. Arist., *Rhet.*, III, p. 157.

lacessitur. Invehitur auctor in oratores illos qui, majorum exempla jactando, bellorum semina semper in concionibus spargunt [1], et possessionum recipiendarum, navalis imperii augendi spem ostentando, populi gratiam captant [2]. Indignatur corruptorum hominum artificiis semper deceptum esse populum, qui, ut propriam utilitatem sectentur, non ferendum contendunt ut ullis mare pateat, qui Atheniensibus tributa pendere nolint [3] et hujusmodi malis artibus rempublicam in summa pericula adduxerunt. Triremibus maria repleverunt, tributorum pondere socios vexaverunt, splendidissimas pollicitationes populo proposuerunt : quæ omnia inimicitiarum et bellorum et impensarum causæ exstiterunt [4]. Lamentationum plena est tota civitas : edictorum et liturgiarum pondere, symmoriarum calamitate attriti omnes inopiam conqueruntur, et insuavius vivunt qui rem habent, quam qui in paupertate perpetua degunt [5]. Annonæ penuria civitas laborat [6], non coluntur agri, non frequentes ut quondam mercatores confluunt : commercium neglectum jacet; opes imminutæ vacuum ærarium efficiunt [7]; et cum ob bella et tumultus paternis bonis ceteri cives spolientur, pessimi illi reipublicæ gubernatores e pauperibus divites fiunt [8]; et cum civis omnibus miseriis opprimatur, pere-

1. Isocr., *Symm.*, 36.
2. *Ibid.*, 5, 6, 51.
3. *Ibid.*, 36.
4. *Ibid.*, 19, 29-30.
5. *Ibid.*, 128.
6. *Ibid.*, 46.
7. *Ibid.*, 19, 21.
8. *Ibid.*, 124, 125.

grini milites arroganter e reipublicæ calamitatibus quæstum faciunt[1].

His pessimæ disciplinæ fautoribus alios oratores scriptor opponit, qui populi favorem aliis artibus quærunt. Prudentes illi et pacis studiosi, plus utilitatis in tranquillitate quam in inanibus conatibus esse contendunt, plus emolumenti justitiam parere quam injuriam, propriarumque rerum curam alienarum appetitioni præstare[2]. De salute civitatis vere solliciti, non jucunda quidem, sed utiliora populo proponunt et mediocrem reipublicæ statum cum æquitate conjunctum magnis opibus male partis anteponunt. Quibus tandem si populus credere velit[3], si malis artibus, e quibus tot clades ortæ sint, tandem abstinere statuerit, tota reformanda est reipublicæ ratio : pax cum omnibus facienda est, ut restituta pace civitas rursus floreat, et respublica sine periculo, bellis et pugnis et tumultu liberata, tributis et trierarchiis immunis, rursus omnibus divitiis abundet[4]. Reditus bello imminuti duplicati in ærarium confluent ; socii, tamdiu Atheniensium prætorum licentiæ traditi[5], ultro reipublicæ amicitiam et societatem colent, quando justitiæ pacisque studiosam civitatem viderint. Ipsi reipublicæ acerrimi hostes, Kersobleptes vel Philippus, cum opibus suis contentos nulla aliena Athenienses appetere perspexerint, libenter Atheniensium possessionibus abstinebunt; quin

1. Isocr., *Symm.*, 46, 48.
2. *Ibid.*, 26.
3. *Ibid.*, 5, 13.
4. *Ibid.*, 19, 21.
5. *Ibid.*, 134.

imo, ut propriam securitatem Atheniensium amicitia confirment, ereptas civitates ultro reipublicæ restituent[1]. Sic felix respublica, quæ bello amiserat, novis pacis artibus facile recipiet: sic hostium, qui falsis criminibus civitatem insimulant, calumnias refutabit et bonam famam summamque laudem per universam Græciam adepta, Græciæ principatum ultro ab omnibus delatum[2] recuperabit. Justitiam colendo, opem ferendo oppressis, nec quidquam alieni concupiscendo, omnium Græcorum salutis libertatisque custodes Athenienses videbuntur; et si quis injuria tot ac tantorum bonorum auctores lædat, universæ Græciæ per illum conservatæ auxilio civitas innitetur, et Græcos unanimes, supplices ad Athenienses confugientes, socios habebit[3].

Hujusmodi consiliorum quanta sit vanitas, quam inanes sint spes illæ, quibus Atheniensium animos Isocrates erigere studet, satis superque liquet; talibus tamen blandimentis isti popularis auræ captatores[4] plurimum apud populum valebant. His artibus Eubuli factio crevit. Certa præsentiaque mala commemorando, splendidas in futurum pollicitationes jactando, omni modo laudationem pacis argumentorum loco afferendo[5], populi gratiam ita sibi conciliavit, ut Aristophontem invitum pacem facere cogeret. Primo successu elati, acrius in certamen iisdem artibus incubue-

1. Isocr., *Symm.*, 22, 23.
2. *Ibid.*, 30, 135.
3. *Ibid.*, 137-141.
4. Demosth., *Chers.*, 70.
5. Demosth., *De fals. leg.*, 88.

runt. Hortatur Isocrates omnes adolescentes, omnes bonos cives, ut orationes habeant libellosque scribant, quibus ad pacem justitiamque colendam incitentur bellicosæ et aliis nocere solitæ civitates[1]: et ipse paulo post in Areopagitico rursus in homines illos invehebatur, qui, jam omnibus invisi, et acerba multa perpessi, vix extrema discrimina evitarunt; rursus hanc reipublicæ gerendæ rationem incusabat, quæ et antehac tot malis causam præbuit, et nunc quotannis rempublicam in nova detrimenta adducebat[2]; rursus civitatem intra penuria laborantem[3], foris ceteris Græcis suspectam[4] commemorabat; rursus publicorum redituum meliorem administrationem[5], prudentiorem in socios disciplinæ rationem exigebat; rursus novam reipublicæ formam commendabat, qua urgentia mala removerentur, præsentesque clades sanarentur[6] et civitas, omni periculo liberata, totius Græciæ libertatis auctor custosque esse videretur[7]. Quæ consilia non ad surdas aures pervenisse crescens in dies adversus Aristophontem invidia paulo post testata est.

1. Isocr., *Symm.*, 145.
2. Isocr., *Areop.*, 17, 18.
3. *Ibid.*, 83.
4. *Ibid.*, 8, 10, 81.
5. *Ibid.*, 8.
6. *Ibid.*, 12-16.
7. *Ibid.*, 84.

CAPUT V.

QUA MENTE SCRIPTUS SIT LIBELLUS NOSTER.

Si quis forsitan in his orationibus nos longius immoratos esse reprehendat, non parvam quidem utilitatem ad explanandum libelli nostri animum percipere ex illis nos posse respondemus. Liceat, pace nostra, Holzapfelium Isocratis orationum cum libello nostro comparationem irridere[1], similiaque verba ex similibus cladibus diverso tempore orta esse contendere. Non infitior equidem similium locorum messem, qualem Kanitzius composuerit[2], uberiorem nonnunquam quam veriorem esse, doctumque juvenem interdum verborum similitudine consulto deceptum fuisse, sententiarum repugnantia non satis perspecta. Si tamen diligenti sinceraque mente in hujusmodi comparationem incumbimus, manifeste apparebit mira quidem et sententiarum et pollicitationum cum Isocratis Eubulique consiliis promissisque libelli nostri similitudo. Et scriptor noster publici ærarii civiumque inopiam[3] ceterorumque Græcorum in Athenienses invidiam[4] commemorat, et ille totum argumentorum pondus in illos homines vertit, qui bello tantum satis potentiæ, famæ, celebritatis Athenas in Græcia habituras contendunt et ad conservandum imperium injuriæ opus esse asserunt, justitiam

1. *Philol.*, p. 268.
2. Kanitz, *op. laud.*, p. 9-15.
3. *Vect.*, IV, 40; V, 12. Isocr., *Areop.*, 83; *Symm.*, 19, 46, 47.
4. *Vect.*, I, 1. *Areop.*, 8, 10, 81. *Symm.*, 29, 31, 46.

vero, etsi laudari soleat, nihil utilitatis ad parandas opes afferre[1]. Ut clades calamitatesque ex his malis artibus ortæ reparentur, et libelli nostri auctor eadem, quæ proponit Isocrates, consilia affert. Et ille prudentiorem publici ærarii administrationem postulat, qua augeantur opes, tributorumque pondus levetur[2]; et ille similes rationes exponit, quibus usi Athenienses facile ampliores reditus percipere possint. Et ille suadet ut neglecta rura colantur[3], ut impeditum commercium refoveatur[4]; et ille postulat ut metœcis nova privilegia conferantur, quibus major eorum numerus in civitate crescat[5]; et ille petit ut mercatores, quantum possint, adjuventur, præcipue celeriore causarum dijudicatione[6]. Et ille optat ut peregrinorum militum arrogantiæ modus imponatur, civesque potissimum militatum eant[7]; et ille tandem pacis opus esse ad reficiendas civitatis vires contendit, et amissum imperium novis melioribusque rationibus recuperandum esse. Commemorat et ille Græcos quondam maris principatum ultro Atheniensibus detulisse[8] et nunc rursus, si novis artibus utantur Athenienses, ultro ad reipublicæ societatem reversuros esse[9] credit; et ille sine labore, sine periculo, sed mittendis per Græciam legatis, Græcorum amici-

1. *Vect.*, I, 1. *Symm.*, 17, 31, 93.
2. *Vect.*, IV, 40. *Symm.*, 20. *Areop.*, 8.
3. *Vect.*, I. *Symm.*, 20,21.
4. *Vect.*, III. *Symm.*, 20, 21.
5. *Vect.*, II. *Symm.*, 20.
6. *Vect.*, III, 2. *Areop.*, 33-35.
7. *Vect.*, II, 3, 4. *Symm.*, 43, 48. *Areop.*, 82.
8. *Vect.*, V, 5-7. *Areop.*, 17. *Symm.*, 30, 42, 76.
9. *Vect.*, V, 8. *Symm.*, 21.

tiam civitati conciliari posse[1]; sperat et ille omnia prospera futura justitiamque colendo Athenas adversus injuriæ auctores omnes Græcos socios habituras[2].

Eadem consilia afferuntur, eadem ex tempore præterito sumpta exempla proponuntur, iisdem promissis populi gratia quæritur. Eadem argumentorum serie, eodem sententiarum ordine ambo scriptores consilia commendant; iisdem erroribus, eadem rerum publicarum imperitia, eadem splendidiorum quam veriorum pollicitationum vanitate ambo laborant. Meliorem reipublicæ formam ambo proponunt: quæ qua ratione ad effectum perveniat minus curant. Ambo tandem omnia prope consilia, quæ Eubulus de administranda republica informabat, laudant. Capite V libelli nostri proponuntur solita factionis hujus argumenta[3] et laudatio pacis illa in omnibus Eubuli amicorumque orationibus allata, qua tot detrimenta paulo post respublica captura erat[4], nedum bonam famam adipisceretur. Capite VI afferuntur pollicitationes omnes, quibus Eubulus populum Aristophonti infestum se redditurum speraret: « Ista agendo, si libelli nostri auctori credas, Græcis amiciores et gratiores erimus, urbem tutius incolemus, gloria majore fruemur, plebs rebus omnibus ad victum necessariis abundabit, locupletes impensis bellicis liberabuntur; cumque futura sit major omnium rerum copia, magnificentius etiam quam nunc dies festos celebrabimus et templa instaurabimus, itemque muros et

1. *Vect.*, V, 9. *Symm.*, 22.
2. *Vect.*, V, 13. *Symm.*, 138, 139.
3. Demosth., *De fals. leg.*, 88.
4. Schäfer, I, 183, 185.

navalia reficiemus ; sacerdotibus, senatui, magistratibus, equitibus more patrio præberi solita restituemus ; quo pacto non fuerit operæ pretium nos hæc quam primum aggredi, ut etiam nobis adhuc superstitibus rempublicam in tuto collocatam felicemque videamus[1]. » Nonne Eubulum ipsum audire credas? Nonne reipsa, cum Eubuli factio summam rerum administrabit, plurima promissa illa ad effectum perducentur[2] ?

Adde præterea in hoc anno 355 conscripto libello nullum adversarium apertis verbis designari : quis tamen dubitet has in malam publicarum pecuniarum administrationem accusationes, hanc sociis illatarum injuriarum commemorationem, hoc Thebanorum odium[3], hanc reipublicæ reformandæ necessitatem, in Aristophontis factionem dicta esse? Isocratis exemplo, callidus noster scriptor obscuris tantum verbis omnipotentem dictatorem impugnabat : homini non deerant enim nec ad resistendum audacia nec ad incusandum eloquentia. Nonne igitur credibile est libelli nostri auctorem idem, quod Isocrates habuerat, consilium sibi proposuisse, et eodem modo novæ factionis promissa ostentando, acerbo factionum certamini, quo tunc Athenæ flagrabant, se quoque immisisse, libellumque nostrum in Eubuli gratiam composuisse, ut viro factionique ejus ad summam rerum administrandam vias aperiret ?

---

1. *Vect.*, VI, 1. Cf. *Symm.*, 20-21.

2. Vide, exempli gratia, privilegia Sidoniis mercatoribus collata, *C. I. A.*, II, 1, 86. Quæ fuerit anno 353/2 navalium copiarum sollicitudo ex *C. I. A*, II, 795, perspicere licet.

3. *Vect.*, V, 9.

Hanc conjecturam quodam modo jam Hagenius odoratus est, cum orationis vigorem qui passim animadvertitur, oratorios quosdam aculeos stimulosque quibus libellus ornatur adnotando, veram orationem publice habitam libellum nostrum esse putaret [1], quin imo etiam duas orationes diversas in libello discernere vellet [2]. Quam hypothesim jam a Zurborgio in disceptationem vocatam [3] rursus perscrutari non nobis in animo est : hoc tantum ex Hageniana disputatione hauriemus, inesse libello nostro oratorium quoddam, quod optime scriptoris proposito congruit et apologeticæ orationi maxime aptum est : eodem modo Isocrates in orationis formam defensiones suas redegit, eodem modo plures ejusdem temporis libelli conscripti fuerunt. Non contendo equidem, ut plures existimaverunt [4], libelli nostri auctorem in Eubuli gratiam scripsisse, quasi eum quid faciendum esset edocere voluisset : sed potius, quemadmodum Isocrates orationibus suis Eubuli consilia publice adjuvabat, eodem modo libelli nostri auctor publice cives quam plurimos novæ factionis disciplinam admonere voluit, novamque reipublicæ gerendæ formam commendando, ad summam rerum administrandam homines novos provehere. Si hac mente libellum conscriptum esse statuamus, si in illo non philosophi cujusdam studiosum opus invenire, sed totius potius factionis spes pollicitationesque au-

1. Hagen, *Eos*, 160, 162.
2. *Ibid.*, 162-166.
3. Zurborg, *op. laud.*, p. 43-45.
4. Schneider, in Xenophontis edit., VI, 151. — Bœckh, *op. laud.*, 698-699. — Shäfer, I, 171, 172.

dire velimus, si libellum nostrum non ex umbratilis vitæ recessu, sed multo magis ex quotidianis fori certaminibus ortum esse credamus, si adversarii in adversarios impetum, amici pro amicis defensionem in illo perspiciamus, si libellum tandem ad civile illud factionum certamen, quo Aristophon Eubulusque de summa rerum contendebant, spectare annuamus, omnes objectiones accusationesque quibus libelli nostri auctor nostro tempore oppressus fuit, facilem explicationem invenient.

Mirum forsitan quibusdam videbitur, et ipsi Holzapfelio visum est, tam paucorum post ictam pacem mensium aut potius dierum spatii scriptori nostro opus fuisse ut tam certa proposita afferre, quibus augerentur exhausti Atheniensium reditus, tam plane omnes proventus prævidere, quibus amplificarentur civitatis opes, tam copiose omnia quæ ad diligentiorem argentifodinarum cultum[1] spectarent explicare, tam perfectum tandem et in omni parte ordinatum novæ reipublicæ gerendæ rationis propositum componere posset. Quod si conjecturæ nostræ assentiri velis, minime miraberis. Nec inauditum propositum, nec inauditas rationes, quibus ad eventum consilia pervenirent, scriptor noster attulit, nec afferre poterat : easdem fere sententias iisdem fere verbis jam Isocrates proposuerat, easdem spes pollicitationesque Eubulus populo ostentabat; promptam igitur et quasi tritam libelli materiem scriptor inveniebat, quam ordinaret tantum verborumque splendore

---

1. Cf. Xen., Mem., III, 6, 12, quo de argentifodinarum natura hominem reipublicæ studiosum informatum esse debere dicitur.

ornaret. Sibi nimium tribuit auctor, cum cogitationes sollicitudinemque suam de civitate enarrat et sese considerantem fingit, qua ratione cives ex finibus ali possint, qua via Athenienses ceteris Græcis minime suspecti fiant [1]. Diligentiam quidem hominis et industriam et benevolentiam erga cives summam et vividum patriæ amorem libenter perspicio laudoque : quæ autem de republica gerenda consilia proposuit, ex communi illo argumentorum promissionumque fonte hausit, quorum splendore omnis factio, dum summam rerum appetit, large liberaliterque consilia sua fucat. Non longos dies in vanis cogitationibus scriptor consumpsit : quod si fecisset, sententia mea, cum nihil prope novum attulerit, tempus vere perdidisset : sed solita factionis suæ argumenta digessit, ut amicorum suorum consilia et ipse post tot alios iterum exponeret commendaretque : et si interdum amplificationibus promissionumque vanitate quadam peccavisse videtur, temporis potius orationisque necessitates incusandæ sunt, quam ipsius viri prudentia peritiaque.

Non enim ex omni parte perfectam reipublicæ reformandæ rationem attulit : brevissimumque libellum perlustrantibus facile maculæ imperitiæque, quibus refertus est, apparent. Quam inania essent multa auctoris nostri consilia, quæ magna ex parte perpetrari non possint, quam vanæ imprudentesque essent spes istæ, quibus Atheniensium animo blandiatur, optime Bœckhius exposuit [2]. Quanta ex privilegiis illis tam effuse cum me-

1. *Vect.*, 1, 1-2.
2. Bœckh, *op. laud.*, 701-704.

tœcis communicatis reipublicæ detrimenta immineant, quam incertum sit egregium lucrum illud Atheniensibus propositum, quod ex diversoriis tabernisque ad mercatorum usum exstructis percipiant, triobolum singuli in singulos dies recepturi[1], quot damna privatorum opibus mercaturæque inferat commercii cura, publicæ sollicitudini commissa[2], quam inanem denique scriptor de argentifodinis opinionem sibi finxerit, satis liquet. Non rerum publicarum vir peritus, non gerendi ærarii expertus orator, non χρημάτων ποριστικός vir tam inutilia somnia tanta pertinacia amplexus est : non mercator, ut Onckenius existimavit[3], tam inania consilia, lectu jucunda magis quam reipsa reipublicæ salubria, protulit. Nec infitiandum est quidem scriptorem nostrum nec veri rerum status rationem satis habuisse, nec quæ consilia in animum induxerit efficine possint satis spectavisse. Optima de reipublicæ statu remedia invenit, unum tantum oblitus est, ut Zurborgii verba usurpemus, « non omnia quæ in cogitatione ac doctrina viderentur optima, etiam in vita civili et in ipsa republica utilia esse »[4]. Hæc omnia concedimus. Verum enim vero non ita intelligendum est auctoris nostri propositum, quasi bene paratum excogitatumque reformandæ reipublicæ consilium afferre voluerit : nec per inscitiam tot locis magnificentiores pollicitationes quam veriores ostentavit. Ut Eubuli amicorumque factionem laudaret, omnia libenter pleniora atque uberiora promisit : ut

1. *Vect.*, III, 9-14.
2. *Vect.*, III, 14.
3. Oncken, *Isocrates und Athen*, p. 96.
4. Zurborg, *op. laud.*, 39.

Eubulum ad summam rerum tolleret, quasi auream ætatem Atheniensium oculis proposuit. Nonne, cum de summa rerum decertatur, soliti sunt hi adversariorum mores, ut civitatum rectoribus omni modo obtrectent, optimisque eorum conatibus inanes pollicitationes opponant, quas ostentare facilius est, quam ad effectum perducere? Nonne ubique homines, dum præsentis reipublicæ formæ illos tædet, futuri regiminis, qualiscunque sit, spe delectantur? Nonne et in aliis civitatibus inanes reformandæ reipublicæ disciplinæ pollicitationes ostentantur, quibus labefaciatur præsens rerum status? Facilis est jucundaque adversarii persona : ut populi aures capiat, pollicitationum plenus est : quæ pars autem earum, cum ad summam rerum perveniet, effectum suum inveniet?

Ne incusemus igitur nec auctoris nostri imperitiam, nec promissionum vanitatem, nec argumentorum negligentiam. In factionis gratiam intra paucorum dierum spatium libellum composuit; in factionis gratiam splendidiores pollicitationes cumulavit; in factionis gratiam omnia laudando in majus auxit. Non certam, philosophorum modo, de optimo reipublicæ statu doctrinam afferre voluit, non æquo animo præsenti rerum statui eximiam quamdam perfectæ civitatis imaginem opponere voluit : sed solitis adversariorum artibus usus civitatis gubernatores incusavit; quam si libelli nostri rationem habere velis, non minime ista, quibus refertus est libellus, vitia ipsiusque orationis species ac forma explicantur.

Hujus opinionis tamen Cobetus obtrectator exstitit, cum subrisurum fuisse Eubulum ad « magnificentas

candidi senis pollicitationes[1] », neque hujusmodi consilia prudentissimum illum publicarum pecuniarum administratorem aut ad effectum unquam perduxisse aut perducere tentavisse. Qua in re erravisse paululum Cobetus mihi videtur. Jam primum adnotandum est anno 355 Eubulum nondum suscepisse, ut Cobeto placuit, pecuniæ publicæ curam, nec reditus publicos adhuc administravisse et auxisse[2]. Multaque igitur credendum est eo tempore, cum Aristophontis factionem impugnaret nec ipse summæ rerum præesset, virum de publici ærarii administratione dixisse atque ostentasse, quæ mox e memoria abjiceret, reipublicæ semel cura suscepta. Deinde quamvis certis libelli locis appareat quædam publicarum rerum imperitia, aliquam tamen legum cognitionem, quibus regitur politica οἰκονομία, habuisse videtur scriptor noster. Optime exposuit quo modo aurum, si magna ejus copia producatur, minoris esse soleat æstimationis, et argentum contra pretiosius reddat[3] : cujus facti tempore nostro manifestam demonstrationem attulerunt opulentissima auri metalla in California (1847) et Australia (1851) effossa : optime quoque intellexit cur, si in agricultura, artibus vel commercio major cujusque rei copia exstiterit, viliores fiant operæ fructusque[4], argenti vero materies, quanto copiosior exstiterit et argenti plus fuerit, tanto plures ad hoc opus se conferre possint, nec ullo unquam tempore argentum vilescat[5] : quæ lex, etsi

1. Cobet, *Novæ lect.*, p. 758-759.
2. *Ibid.*, p. 757.
3. *Vect.*, IV, 10.
4. *Vect.*, IV, 6.
5. *Vect.*, IV, 11.

tempore nostro veritati repugnet, apud veteres tamen cum usitatis nummorum rationibus optime conveniebat. Multa alia quæ in libello proferuntur non adeo vana existimanda sunt[1]. Ne nobis dicat Cobetus, nihil horum quæ proponuntur Eubulum unquam fecisse, vel, si ipse περὶ πόρων scribere voluisset, longe alia afferre debuisse. Multa in majus aucta, quædam imperite dicta libenter concedimus, quæ orationis specie scriptorisque mente satis explicantur : at quæ consilia Eubulus de administranda republica præsertim informavit, omnia in libello invenias. Jam supra demonstravimus omnium quæ, Eubulo auctore, ad rempublicam juvandam facta sunt, scriptorem nostrum uno capite veram imaginem proposuisse : et si verum libelli propositum in breve cogere velis, has sententias præsertim in lucem proferri videas, quibus Eubulus reipsa rempublicam administravit : ut pacem observando Athenienses ceterorum Græcorum amicitiam sibi concilient, ut pecunias publicas bene gerendo otium cum dignitate tranquillamque felicitatem respublica capiat.

Jam ad finem igitur quæstionis pervenimus. Quo quæ demonstrare voluimus ut breviter complectamur, hæc de libello nostro statuenda nobis videntur. Scriptus est ultimis anni 355 diebus, jam occupato a Phocensibus Delphico templo : a terminato sociali bello jam aliquot menses intercesserunt, jamque apparent certi proventus, quibus bene administrati facile augeantur publici Atheniensium reditus. Perspiciuntur simul gravissima detrimenta, quæ ex Aristophontis auctori-

---

1. Zurborg., *op. laud.*, 39-40.

tate respublica cepit ; intelliguntur pessimæ artes, quibus socios ab Athenis alienavit, publicumque ærarium exhausit. Postulatur nova reipublicæ disciplina, qua reficiantur vires, leveturque civitatis inopia ; omniumque oculos spemque ad sese convertunt Eubulus ejusque amici. Jam Isocrates rhetorisque illius æmuli orationibus libellisque civitatis rectores lacessunt : huic agmini sese adjungit libelli nostri auctor. Non philosophorum modo perfectam quamdam absolutamque reformandæ reipublicæ imaginem proponit : multa negligit, plura leviter præstringit, splendidiora nonnunquam quam veriora pollicetur, lectu jucunda magis quam reipublicæ utilia interdum commendat, asperius in adversariorum disciplinam invehitur, nimio fervore amicorum mores laudat. In factionis enim gratiam scripsit : temporisque propositi et forensis certaminis necessitatibus facile explicantur omnes, quibus abundat libellus, negligentiæ atque iniquitates.

CAPUT VI.

AN LIBELLUS NOSTER XENOPHONTI ATTRIBUENDUS SIT.

His expositis, restat ut breviter inspiciamus an libellus noster Xenophonti tribuendus sit. Veterum quidem testimoniis traditum est fuisse libellum quemdam, Πόροι inscriptum, qui inter Xenophonteos vulgo numerabatur. Laudat Menander rhetor libellum Πόροι περὶ τῆς Ἀττικῆς inscriptum[1]; eumdem laudant librum et Athenæus et Diogenes Laertius[2]: nobis autem videndum est an laudatus ille Xenophonteus liber idem sit, quem nos habemus.

Ambiguam illam quoque quæstionem multi tempore nostro in disputationem vocaverunt: tantoque dissertationum proventu nondum controversia absoluta est. Cum de scriptoris vita multa quidem incerta maneant, cum præsertim de morte ejus certi nihil a veteribus traditum sit, uberrima exsistebat disputandi materies, dum quæreretur an ea, quæ de libelli tempore quisque statueret, cum Xenophontis vitæ spatio convenire possent. Hagenius primum[3] omnesque qui, viri auctoritate inducti, ad annum 346 libellum retulerunt, jam ob eam causam libellum a Xenophonte alienum

1. *Rhet. græci,* ed. Waltz, IX, p. 161. — Cf. Cobet, *Nov. lect.*, p. 756.

2. Athen., p. 272 E. — Diog. Laert., II, 57.

3. Hagen (*Eos*, 166-167).

statuerant[1]. Aliis rationibus impulsus Onckenius, cum pacem tam constanter a scriptore nostro Atheniensibus commendatam notaret, mercatore aliquo librum digniorem esse quam Xenophonte putavit[2]. Alii, quanquam anno 355 libelli confectionem attribuissent, abjudicandum tamen a Xenophonte de reditibus libellum existimaverunt[3]. Quin imo, Beckhausius Xenophontem quemdam minorem, scriptoris nostri nepotem, sibi finxit, cui liberaliter plures Xenophonteos in disputationem vocatos libellos attribueret[4]. Non nobis in animo est longiori illi quæstioni, quæ, nostra quidem sententia, hac via minus expediri potest, immorari : ipse enim Holzapfelius confitetur[5], cum summam Xenophonti senectutem veteres plerique tribuant[6], certi nihil ex temporum ratione deduci posse. Quæ cum ita sint, cum acerrimus ipse libelli obtrectator vel anno 346 Xenophontem scripsisse concedat, nihil est cur nos, qui anno 355 libellum compositum statuamus, Xenophonti librum invideamus. Non hæc igitur disputationis via ineunda est, ut quæramus an fuerit Xenophon libelli nostri auctor. Pro temporum ratione dubium enim non est quin librum scribere potuerit[7] : sed ex ipsa libri materie testimonia quærenda sunt, quibus

---

1. Cf. Dindorf, *op. laud.* Oxford, 1866.

2. Oncken, *Isocrates und Athen*, 96 sqq. — Cf. Zurborg, *op laud.*, 33-35, 37, 40-41.

3. Schanz, *op. laud.* (Rhein. Mus., 1881).

4. Beckhaus, *Xenophon der Jüngere und Isocrates*. Posen, 1872. — Cf. Ad. Roquette, *op. laud.*, 105 sqq.

5. *Philol.*, p. 268.

6. Pseudolucianus (Macrob. 21).

7. Cf. Ad. Roquette, p. 31-34.

disputationi nostræ cérta fundamenta statuamus. Liceat Holzapfelium pace nostra hujusmodi argumenta irridere[1]: nos contra, ingenium scriptoris mentemque inspiciendo, multa invenimus quæ vel maxime cum Xenophontis, quales ex ceteris libris cognitos habemus, moribus concordare videntur.

Atheniensem fuisse libelli nostri auctorem testantur accurata rerum Atheniensium peritia et fervida sollicitudo; testatur et frequentior per primam pluralis personam civium adlocutio[2] et Attica dialectos continuo usurpata. Ætate jam provectiorem fuisse demonstrant et remota Decelensis belli memoria[3], et tot ex longinquo sumptorum exemplorum multitudo[4]. Videtur denique scriptor non Athenis libellum conscripsisse[5]. Quæ omnia cum Xenophontis vita moribusque optime convenire videntur. Xenophontem enim anno 369 in patriam revocatum esse constat[6]; et quanquam Athenas virum rediisse non certum sit[7], edocent tamen et filii anno 362 Athenas missi[8] et Hipparchicus in Atheniensium equitum magistri gratiam anno fere 365 compositus[9], extremis vitæ temporibus quasi Atheniensem civem virum semper se gessisse. Nihil igitur in libello

1. *Philol.*, p. 268, 269.
2. Cf. Gleiniger, *op. laud.*, 37.
3. *Vect.*, IV, 25.
4. *Vect.*, IV, 13, 14.
5. Zurborg, 42, 43. — Gleiniger, 37-39.
6. Ad. Roquette, 29-31. Cf. Cobet, 757, 758.
7. Schäfer, I, 170.
8. Diog. Laert., II, 53.
9. Roquette, 96. — A. Martin, *Les Cavaliers athéniens*. Paris, 1887, p. 265.

inesse a Xenophonte alienum cum concedendum sit, videamus nonne inveniantur quædam quæ ad Xenophontem auctorem referendum esse libellum plane confirment.

Dicendi quidem et argumentandi rationem in libello nostro plane cum Xenophontis consuetudine concordare optime jam ostenderunt Gleinigerus Zurborgiusque[1]; tot tantaque vocabulorum, constructionum figurarumque exempla, quæ Xenophonteum quoddam redoleant, attulerunt, ut doctorum virorum curis res satis illustrata videatur. Melius igitur utiliusque de scriptoris nostri ingenio pauca dicemus, quæ ad confirmandam opinionem nostram valeant.

Quattuor potissimum loca in disputationem vocabimus. Ex pluribus locis auctorem deorum amantissimum fuisse satis liquet et divinarum rerum summam curam habuisse. In universa Græciæ perturbatione de Delphico templo liberando ante omnia cogitat[2]; festorum pompam templorumque splendorem inter præcipuos pollicitationum suarum effectus ponit[3]; quæ tandem consilia civibus proponit, extremis libelli verbis deorum arbitrio subjicit, et ab eorum jussis oraculisque totum effectum pendere asserit[4]. Quæ omnia cum Xenophontis indole optime conveniunt. Illum enim frequentissimum fuisse deorum cultorem quis nesciat? Delphici præsertim Apollinis oraculum, quod nunc scriptor noster consulendum ait, per totum vitæ spatium Xeno-

1. Zurborg, 18-29. — Gleiniger, 49-66.
2. *Vect.*, V, 9.
3. *Vect.*, VI, 1.
4. *Vect.*, VI, 2.

phon summa reverentia coluit. Hunc deum quondam, cum juvenis anceps in animo verteret an Cyri expeditioni sese adjungere deberet, iisdem fere, cautioribus quidem, verbis, quibus nunc utitur, consuluerat, cui deorum sacra precesque ferret, ut incœpta optime perficeret[1] : hujus quoque dei oraculum semper sanctissimum habuit[2]. Adde et in aliis Xenophontis scriptis idem apparere deditum ad religionem ingenium. Et extremis Hipparchici verbis divini numinis ope suscipiendas esse propositas res scriptor voluit[3]; iisdem fere verbis publicarum militariumque rerum vir peritissimus humili animo consiliorum effectum divino suffragio commendat.

Agriculturam scimus Xenophonti semper maxime laudabilem visam esse[4], cujus quoque in libello nostro nec minimam quidem rationem scriptor habuit. Non plane equidem perspicio quo modo Hagenius nullam in libello agriculturæ mentionem occurrere crediderit[5], nec cur Zurborgius agriculturam, ut ad augendas Atheniensium opes minus profuturam, quasi plane sileri existimet[6]. Quin imo majoribus forsan quam verioribus laudibus patriæ terræ naturam ornasse mihi videtur, cum multas arbores quæ alibi ne proveniunt quidem,

---

1. *Anab.*, III, 1, 5-6, τίνι ἂν θεῶν θύων καὶ εὐχόμενος κάλλιστα καὶ ἄριστα ἔλθοι τὴν ὁδὸν ἣν ἐπινοεῖ. Cf. *Vect.*, VI, 3, ἐπερωτᾶν τίνας θεῶν προσποιούμενοι ταῦτα κάλλιστα καὶ ἄριστα πράττοιμεν ἄν.
2. *Anab.*, V, 3, 5 ; VI, 2, 5.
3. *Hipparch.*, IX, 8-9.
4. Croiset, *Xénophon.* Paris, 1873, p. 166 sqq.
5. Hagen (*Eos*, 159 sqq.).
6. Zurborg, 33 sqq.

*

hic amplissimos fructus ferre dicat [1], et omnibus bonis, quæ singulis anni temporibus dii suppeditent, Atticam abundare contendat [2] : nec agriculturæ imperitum nec negligentem hominem esse satis liquet, cum pluribus locis ex re agraria imagines vel exempla sumpserit [3].

Porro incolarum multitudinem parandam esse, quo ditior fiat respublica, sæpius in ceteris scriptis Xenophon admonuit [4] et mercatores præcipue propositis præmiis advocandos esse, ut plures et libentius in urbem venientes, novos proventus reipublicæ afferant [5]. At in iis consiliis præsertim agnoscitur Xenophontis ingenium, quibus melius administrandos esse equites suadet [6]. Et in Hipparchico ex metœcorum numero complendos esse equites existimat [7]; et in Hipparchico quærit quibus rationibus antiqua privilegia et antiquum gloriæ studium equitibus restituantur [8]. Eo enim tempore e pristino statu concidisse videtur Atheniensium equitatus fama [9], manifestaque apparebat vacuos ordines complendi necessitas. Quem rerum statum ut quodam modo reficeret, Eubulus lege equites in meliorem statum reduxit [10], ita ut hic quoque hujus viri auc-

1. *Vect.*, I, 3.
2. *Vect.*, I, 4.
3. *Vect.*, IV, 5, 6, 9.
4. *Œc.*, IV, 8 et 10. — *Cyr.*, IV, 4, 5. Cf. *Vect.*, II, 7; IV, 49.
5. *Cyr.*, VI, 2, 38. — *Hieron*, IX, 8, 9. Cf. *Vect.*, III, 1-5.
6. A. Martin, *op. laud.*, 352-353, 370, 482.
7. *Hipparch.*, IX, 6. Cf. *Vect.*, II, 5.
8. *Hipparch.*, IX, 3. Cf. *Vect.*, VI, 1.
9. Martin, 352, 353.
10. Dinarch. *c. Demosth.*, 96.

toritate Xenophontis pollicitationes effectum invenisse videantur.

Si nunc quæ Xenophon de reipublicæ gerendæ ratione senserit quæramus, infestum fuisse Thebanis Thebanorumque societatis fautoribus cetera scripta aperte testantur[1]; Lacedæmoniorumque amicitia opibusque fretos meliorem Græcarum rerum administrationem gerere posse Athenienses semper contendit[2]. Summam quoque curam in eo semper collocatam habuit ut ad publicarum pecuniārum conditionem cognoscendam animum informaret; et jam in Memorabilibus Socratis voce edocebat opulentiorem reddendam esse civitatem bonoque civi quærendum esse quibus ex rebus proventus habeat civitas, qua ratione explendi sint exiguiores reditus, qua via rursus comparandi amissi redituum fontes[3]. Atheniensium denique reipublicæ formæ, qua omnia fere per populum populique assentatores gerebantur, minime favebat[4]. Quid mirum igitur si libello nostro Aristophontem oratoresque illos qui, populi gratia innixi, et pessimam Thebanorum societatem affectaverunt et reipublicæ pecunias pessumdederunt, tanta pertinacia impugnaverit? Melioribus artibus rempubli-

1. *Hellen.*, VII, 1, 34. *Mem.*, III, 5, 2.

2. Croiset, *op. laud.*, 118-139.

3. *Mem.*, III, 6, 3-5. Μετὰ δὲ ταῦτα ὁ Σωκράτης · οὐκοῦν, ἔφη, τοῦτο μὲν, ὦ Γλαύκων, δῆλον, ὅτι εἴπερ τιμᾶσθαι βούλει, ὠφελητέα σοι ἡ πόλις ἐστίν ;.... εἰπὸν ἡμῖν ἐκ τίνος ἄρξῃ τὴν πόλιν εὐεργετεῖν ;.... Ἆρα.... οὕτω καὶ τὴν πόλιν πειράσῃ πλουσιωτέραν ποιῆσαι ;... Οὐκοῦν πλουσιωτέρα γ' ἂν εἴη προσόδων αὐτῇ πλειόνων γενομένων ; Εἰκὸς γοῦν, ἔφη. Λέξον δὴ, ἔφη, ἐκ τίνων νῦν αἱ πρόσοδοι τῇ πόλει καὶ πόσαι τινές εἰσι : δῆλον γὰρ ὅτι ἔσκεψαι ἵνα, εἰ μὲν τινες αὐτῶν ἐνδεῶς ἔχουσιν, ἐκπληρώσῃς, εἰ δὲ παραλείπονται, προσπορίσῃς. *Cyr.*, VIII, 1, 13.

4. Croiset, *op. laud.*, 150, 152, 160-162.

cam gerendam esse, prudentiorem publicorum redituum habendam esse rationem cum toto animo exigat, quid mirum si Eubuli[1] amicorumque causam studiosissime amplexus sit?

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. V Idus aug. anni MDCCCLXXXVIII
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis rector,

GRÉARD.

1. Non omittendum est Hegesilaum illum III, 7 memoratum Eubuli propinquum fuisse. (Cf. Schäfer, I, 172.)

INDEX MATERIARUM

Nancy. — Typis Berger-Levrault et sodalium.